



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica


Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. De euidencia, & certitudine actuum intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)



TRACTATUS VI.

De euidētia, & certitudine actuum intellectus.

CAPVT I.

An sit in nobis aliqua euidētia, aut certitudo?

TAMETSI de euidētia, ac certitudine actuum intellectus non nihil obiter attigerimus tractatu præcedenti, at operæpretium est in præsentī eas magis ex professo enucleare. Prima ergo sententia, vel potius amentia est aliquorum, quos refert, ac reprehendit Aristor. lib. 1. poster. cap. 3. omnia posse naturaliter à nobis demonstrari, omnia certo, & euidēter cognosci. Cæterum nihil fingi potuit stultius. Namque quis non verisimilibus modo coniecturis, sed certis, ac perspicuis rationibus assequatur, cœlum an compositum sit ex materia, & forma, vel potius essentialiter simplex, an concreta glacies, vel purissimus ignis, aut quinta quædam substantia in orbem mobilis, nullique elementorum affinis; an corpus fluidum, vel potius solidissimum, & sicut ære fusum; quot orbibus constet, & quænam singulorum, tum inter se, tum à nobis distantia, cursus item, ac recursus, & in hæc inferiora vis, & influxus, stellæ an sint eiusdem speciei cum suis sphaeris, an densi quidam ætheris globi non dissimiles, suo ne, an mutuatitio, & à solaribus radiis emendicato lumine micent; an sint innumerabiles, uti arenæ maris, vel potius mille viginti duo, ut placet Astrologis.

Iam quis exactè noscat mensuras telluris, eiusque profunditatem; ac diametrum; aut super quo bales illius solidatae sunt, quoque pacto in aëre pendeat ponderibus librata suis; quæ causa fecerit illam in campos extendi, desiderare in valles, & attolli in montes cœlo prope pares, an ita sit initio condita, vel potius sæuentis cataclysmi violentia eas illi tribuerit inæqualitates. Qua item vi maria tumeant, ac detumescant, & postquam fremens fluctus, & ex alto sinu spumans vnda venit, rursus in se redeat, nec cum dispendio possessoris humani alienum occupet elementum, anhelitune suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat vndam vndique, quippe ut aliqui vanissimè fingunt vnum animal; an sint depressi aliqui specus, quo reciproca maria resisdant, atque inde se iterum exuberantia attollant, an luna causas tantis meatibus præbeat, utpote ad cuius ortus, & occasus, ac propterea illa surgit, & demergitur ingens, & infinitum pelagus modo inunquat campos, modo latè nudat, ac refugit.

Rursus ut Iobi cap. 38. verbis utar, quis ingressus est thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexit; per quam viam spargitur lux, ac diuiditur æstus super terram, quid dat vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitruī, quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris, de cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit? Quis item certa, & euidēti ratione cognoscat, qua virtute magnes ad se ferrum, vel attrahat, vel certè alliciat, pisciculus paruus echeneis appellatus mediis procellis cogat stare nauigia, quod non vlla possunt vincula, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ, scorpiani, & heliotropij flores sequantur solis conuersionem, co-

lumbæ ceruis solaribus exposita radiis tot modis colores variet, pūniceum, cæruleum, ignem, & carbunculi speciem referentem, pallentem item, rubentemque, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidem memorare sit facile: Chameleon item, Polypus, ac Tarandus, Scytharum, quos Gelonos vocant, animal, locorum, in quibus sunt, colores referant, ætæna notissimus Siciliae mons æternis præbeat incendiis materiam: Pyrites lapis Persicus, ita ab igne dictus tenentis manum, si valde prematur, adurat: alterius etiam Persici lapidis, quem Selenitem vocant, arcanus candor lunam sequatur, & cum ea crescat, ac deficiat: apud Hibernos nostros lacus quidam immersum sibi lignum partim conuertat in plumbum, partim in ferrum: apud Garamantas quidam fons sit tam frigidus interdiu, ut non possit potari, tam feruidus noctibus, ut ne tangi sustineat.

Præterea, ut cum Basilio epistola 168. loquar: *Qui se existentium scientiam affectum esse, vel certè allequi possit, gloriatur, exponat nobis, quomodo, quod minimum est eorum, quæ in lucem prodierunt naturam habeat, & qua formica sit natura: Dicat, an spiritus, vel anhelitu vita ipsius contineatur, an corpus habeat ossium distinctione concinnatum, ac discretum: Nervisne, ac nodulis coniuncturarum roborata sit: An musculorum, & glandularum complexu nervorum natura vndequeque conseruetur: An è sincipite per dorsuales nodos ad caudam usque medulla prorogetur: Virum ex nervosa pellicula motis membris sit progrediendi facultas. Flabeatne hepar, an sub hepate sit flauæ bilis folliculus: Virum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata. Nudane sit, vel crinita: An vnius tantum generis, aut multifariis utatur pedibus: Quandiu uiuat: & qua sit illis propaganda posteritatis ratio: Quotuplo factu dum generat, facundetur: Et quomodo, nec pedestres omnes sint formicæ, nec alaræ omnes, sed aliæ humi repant, aliæ verò per aëra volitent. Dicat itaque nobis formicarum naturam, qui eorum, quæ in natura sunt scientiam cum fastu se prædicat affectum, vel certè possit, si velit allequi.*

Sed quid moror in iis, quæ sunt extra nos? Quid, ut cum Augustino libro 10. confession. loquar, propinquius me ipso mihi, & ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur à mercede in memoriæ campis, & antris, & cauernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, siue per imagines, sicut omnium corporum, siue per præsentiam, sicut artium, siue per nescio quas notiones, vel notationes, sicut affectionum animi, quas & cum animis non paritur, memoria tenet, cum in animo sit quidquid est in memoria: per hæc omnia discuro, & volito hac, atque illac, & penetro etiam quantum possum, & finis nusquam: & hoc quis tandem indagabit? quis comprehendet, quomodo sit? Haud magis perspectum est, cum radioforum lumen rapidissimis meatibus, cursuque, & recurso videamus, an rerum species aduolent, & nostris in pupulis fidant: quatenus per concauas rupes, argutasque valles reflectatur sonus, vagisque ludat imaginibus aures: ut ceteri sensus nostri, tum interni, tum etiam externi suas obeant functiones.

Vterius quis futuros euentus, rerumque fines certè, & euidēter præfagiat? Nunquam expellamus nos, inquit Seneca lib. 4. de benef. cap. 33. Certissimam rerum comprehensionem: quoniam in arduo est veri exploratio: sed ea immo, quæ ducit verisimilitudo: Omne hac via procedit officium. Sic scriimus, sic nauigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos tollimus,

tollimus, cum omnium incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, Patri pios liberos? sequimur quæ ratio, non quæ veritas trahit. Expecta, ut nisi bene cessura non facias, & nisi comperta veritate nihil moueris: relicto omni actu vita consistit.

7 Tandem, ut ad mysteria nostræ fidei accedam, quis lumine naturæ demonstrat, certoque, & euidenter assequatur æternam illam generationem verbi, Spiritus à Patre, & Filio processionem, triumque quantumuis personaliter distinctarum, tamen in eadem natura consubstantialitatem. Quis Verbi, ut rem Theologico Verbo dicam, incarnationem, & infinito distantium intervallo naturarum in eadem persona coniunctionem? Quis in Eucharistiæ Sacramento sine pane panis speciem, sine mero meram eius effigiem, ac tam angustis definitam carceribus comprehensamque mensuris totam Domini Corporis, & Sanguinis molem? Quis cæterorum Sacramentorum institutionem, ac singulorum vi hominem supra hominem erectum, & diuinæ naturæ participem factum? Quis denique rationes diuinæ prouidentiae, & arcana illa, quæ teste Paulo non licet homini loqui? Cæterum, quia vanissimi commenti nullus est probatus, aut notus hodie auctor, nulla ratio, quæ difficultatem facillat, non plura, nec istamet ad scholasticum, ac metaphysicum rigorem: nam ut Claudiani Mamerci lib. 3. de animæ statu capite 16. verba usurpem; in auras tela iacere, & sine hoste pugnare cassâ contentio est, & virium frustratio, quod ita erit ingloriosum, ut laboriosum.

8 Secunda aliorum sententia est, nullius rei nobis inesse scientiam, nullius certitudinem, aut eidentiam. Ita Academici noui, ut Arcestylas, Lacydes, Carneades, & alij. Ita etiam Pirrhoni sic à Pirrhone dicti. Hæc opinio minus intolerabilis est præcedenti, ac non planè toleranda. Principio namque, quis nesciat, quis non certo, & euidenter cognoscat semetipsum existere, hominem esse, videre, audire, &c. solem lucere, post eius occasum, tenebras noctemque sequi, quodlibet esse, vel non esse, impossibile esse simul esse, & non esse, omne totum esse maius sua parte, aliaque id genus axiomata.

9 Deinde: si nihil certum nobis, nihil esse potest euident, irriti sint necesse est decursum ad hoc xui sapientum omnium conatus, ac labores, superuacanea, ac malè collocata studia: Frustra certè inuestigauerint Thales tempora, Athalas sydera, Zetus pondera, Chrisippus numeros, Euclides mensuras, Orpheus sonos, Hippocrates morbos: Frustra diuiserit Socrates, definierit Plato, argumentorum modos, ac figuras tradiderit Aristoteles; ut alios recentiores taceam. Respondent aduersarij alij, sapientum omnium, vel fuisse, vel certè debuisse esse scopum, non verum certa, & euidenti ratione cognitum, sed verisimile. Cæterum uti Petrum, verbi gratia, esse similem Paulo cognoscere nequimus, nisi quis, qualisque sit Paulus nobis constet, ita verisimile assequi non possumus, quin nobis liqueat, quid sit ipsum verum: at quod in rebus est verisimile consequi valeamus, ut largiuntur contrarij, ne certè frustra rum ipsi, tum cæteri omnes litteris operam impenderint: ipsius ergo veri certa, & euidentis notitia, ac veluti lux quædam nequit interdum animis nostris non affulgere.

10 Ad hæc aduersarij, ut de eis præter alios refert Aulus Gellius lib. 11. noctium Atticar. cap. 5. nihil decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo sem-

per, considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum, de quo decerni, constituique possit, ac ne videre quoque planè quicquam, nec audire sese putant, sed ita pati, afficique, quasi videant, vel audiant, eaque ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia, & cuiusmodi sint cunctantur, atque insistant: omniumque rerum fidem, veritatemque mistis, confusisque signis veri, atque falsi incomprehensibilem videri aiunt. Vnde commentantes dicti sunt, necnon obligantes, & ambigentes. His suppositis, aut intellectus iudicat hic, & nunc, ut aiunt, ita operandum esse, vel non, sed potius, an ita debeamus operari, vel secus, in medio relinquit, nihilque definit? Si secundum; voluntas quodcunque velit, & in quacunque se inflexerit partem, haud peccabit, cum intellectus, quem sequi debet neutram partem alteri unquam præferat: si primum; iam ergo haud est assensus in omni re cohibendus, sed in plurimis, videlicet practi-

cis, ac moralibus præstandus. Insuper aduersarij, aut sciunt se nihil scire, certoque, & euidenter cognoscere; & in hoc solo nobis cunctandum, & ambigendum non esse censent, ut placet nouis Academicis; & hoc facile refelli potest: cur enim ignorantiam nostram scire possimus, & non alia obiecta? præsertim cum facilius sit res posituas, quam negationes comprehendere, nec cæ nisi per illarum species, & imagines soleant innotescere: aut propterea, ut Pirrhoni disputant, ne nos etiam nihil scire, & perspicua, certa que ratione assequi nobis haud constet, atque ita si res habet, quorum quod nesciunt tantopere asseuerant? quorum nobis contradicunt, quando haud sciunt, an sit vera nostra sententia, suaque potius falsa?

C A P V T II.

Quarundam rerum esse in nobis eidentiam, ac certitudinem formalem, & aliarum non esse.

12 Media ergo sententia inter duas extremas hætenus profligatas, ac longè verior est, non de omnibus rebus, nec etiam de nulla esse in nobis certam, & euidentem notitiam: aut esse de aliquibus, & non esse de alijs. Ita cum Aristotele Peripatetici omnes, tum ethnici, tum etiam Christiani, præsertim vero Augustinus, Damascenus, Thomas, Scotus, & eorum asseclæ, necnon nostri omnes auctores.

13 Quin etiam in eadem sententia fuisse arbitror non paucos, qui pro sententia sententiam, ac scientiam omnem negante referri solent. Id de Anaxagora, Democrito, Empedocle, & alijs magni nominis philosophis antiquitatis, præsertim vero Pythagora, ac Platone testantur nostri Conimbricenses quaestione præfationali physicorum superius citata. Atque quod attinet ad Platonem, cum nobiscum facere latis indicant hæc eius verba in Phædone: Vera ratio est donec corpus habeamus, permixtusque sit tali malo noster animus, nunquam nos id, quod iam olim concupiscimus satis plene consequuturos: concupiscimus autem veri scientiam. Pende particulam illam satis plene, quasi non omnino, aut omnium, sed plurimarum rerum nobis in hac vita neget scientiam. Philo item Iudæus, quem communiter nobis obiciunt aduersarij, & etiam non aduersantes sic ait in libro de somnijs: *Mihi videtur hic puerus* (scilicet iuramenti quo digressum scriptura refert Iacobum) *significare scientiam, quæ suapte natura in profundo sita est,* non

non in superficie, nec in propatulo solet esse, sed in abdito: nec facile, sed vix multo labore inuenitur. Vbi certe scientiam nobis difficilem, non tamen impossibilem adstruit. Denique, ut alios taceam, Lactantius nobis opponi solitus sic habet lib. 3. in tit. capite 3. *Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore humano diuina solertia, ut per eos aditus scientia perueniret ad mentem.* Vbi scientiam, non negat, sed liquida ratione concedit, tamen eam, quæ nonnisi per angustos sensuum canales influxat in mentem, adeoque necessario debeat esse non parum imperfecta.

14 Non me laret, auctores hæcenus in transcurso explicatos crudioribus aliquando verbis uti, & præcisè asserere, nihil omnino sciri à nobis huius vitæ ergastulo clausis, ac veluti terra, & caligine mersis. Cæterum hoc tantum me iudice volunt, nihil esse, quod scimus præ his, quæ ignoramus: vnde particula, *nihil*, apud eos accipienda est, non absolute, sed comparatiuè, non metaphysicè, & rigorosè, sed moraliter, ut aiunt. Et quidem merito ita de omni scientia nostra censent. *Corpus enim, ut cum Platone ubi supra loquar, nobis primum innumerabiles, & infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob necessarium conuietum, & alimenta quotidiana. Deinceps, si qui morbi ingruere, impedimento sunt, quominus inquiramus. Et sic inuenire veritatem non possumus: Nam cupiditatibus, & cupidinibus, & timoribus innumerabilibus variarum rerum, appetitionumque visionibus, & infinita quadam dementia corpus oneratur, ut præ illo, nec sapere quidem vlla in re possimus: Et si quando tempus aliquod ad philosophandum vacuum, vel habuerimus, vel fecerimus, tunc quoque in ipsis cogitationibus nostris corpus intercurrit turbam errorum inferens menti, ut obcæcante illo veritatem peruidere non possimus.* Idem, quæ solet, elegantia explicat Claudianus Mammercus lib. 1. de statu animæ cap. 22. *Liquido claret, secundum illam vitam, quæ nobiscum pecudibus est communis, animam exoso, atque arido, quam pasto, ac succulento corpore magis onerari. Quod eo fit, quia fessum corpus non ita valet animi nutibus facili motu seruire, & onerosa illi est, non ponderis grauitas, sed agendi difficultas. Ac perinde si belluinam vitam (quam nobis istic inesse manifestum est) cogitamus, corpus istud non aggrauat animam. Si vero illam, quæ cum Angelis erit adipiscimus, aggrauat animam occupando eam, atque illiciendo, vel necessariis, vel voluptuosius degendo eandem in pulchra corpora, & à contemplatione summa pulchritudinis abducendo. Isto ergo, quod, vel esui, aut potui necessario in salutem corporis opus impenditur, vel superflue voluptatum nugis animus occupatur, vel plagis, ac doloribus per corpus affligitur, aggrauari eandem, & pro multitudine ac difficultate actionis onerari, perspicuum est.*

15 Porro super auctoritatem tot Doctorum nulla melior probatio opinionis titulo capitis huius præfixæ, quam extremarum improbatio cap. præcedenti tradita. Quando namque ibi demonstratum manet, nec omnia à nobis sciri, nec omnia ignorari, id certe superest, ut aliqua sciamus, & multa nesciamus. Pro sententia rerum omnium scientiam, siue certam, & euidenter, notitiam nobis affingente, nulla sunt, ut diximus, argumenta, quibus satisfieri oporteat. Pro ea verò, quæ nullius rei nobis largitur certitudinem, & euidenciam, auctores illius obiciunt primo.

16 Quod est certum, & euidens à nullo negari potest intellectu: haud secus, ac lux solaris apertis oculis à nemine potest non cerni. Atqui nulla res est,

quæ non possit à nobis negari: nulla ergo est nobis certa, & euidens. Maior, & consecutio sunt perspicua. Minor suadetur: nam quid minus videtur negari posse, quam niuem esse albam: ast eam negauit esse talem, potiusque nigram affirmavit Anaxagoras apud Ciceronem libro 2. Academ. quæst. editio. 1. & Lactantium lib. 5. diuinar. institutionum capite 3. Quid item minus negari potest, quam idem haud posse simul esse, & non esse? sed hoc inficiari sunt aliqui, & quidpiam simul esse, & non esse posse censuerunt, ut refert Aristoteles 4. metaphys. text. 9. Quid deinde minus cadere potest sub negationem, quam subiectam nobis tellurem esse immobilem: at eam non stare, sed continuò moueri docuere apud Ciceronem in Lucullo Nicetas Syracusius, necnon, ut refert noster Mendoza in viridario, alij Pythagorici: item recentiores nonnulli, videlicet Copernicus, Cælius, Calcanignus, Stunica, & Gilbertus. Quid denique euidencius, quam mortuorum corpora non viuere, nec sentire? At Muretus libro 10. variat. lect. cap. 19. refert Democritum eis affinxisse sensum: nec eum solum, sed communiter veteres omnes gentiles in eo fuisse errore putat: non enim, ait, solidas glebas, sed ut colligitur ex Horatio lib. 1. od. 28. tritum, ac minutum puluerem iniiciebant mortuis, ne scilicet pressu aliquem eis dolorem adferrent: eademque, inquit, de causa leuem, ac mollem eis terram optare soliti erant.

17 Obiciunt secundò. Omnis certitudo, & euidencia nostra prouenit à sensibus, nihilque nisi dependenter ab illis cognoscimus, assequimurque: quando igitur fieri nequit, ut riuus assurgat supra caput, fontemque suum, haud esse potest in intellectu nostro maior euidencia, & certitudo, quam in sensibus: iudicium autem nostrorum sensuum semper est incertum, & ineuidens: nam si nunquam non debent certo, & euidenter iudicare, maximè, quia res non absentes, sed præsentis, non in aliis, sed in se, non abstractiuè, ut aiunt, sed intuitiuè percipiunt: at contingit haud raro, eos ita cognoscere, & tamen falli, quod plus est, quam ineuidenter, & incerto dignoscere: siquidem, ut aiunt Academici apud Tertullianum de anima, capite 17. *Mendacium visui obicitur, qui remos in aqua inflexos, vel infractos adseuerat aduersus conscientiam integritatis, qui turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persua-deat, qui equalissimam porticum angustiorum in ultimo infamet, qui celum tanta sublimitate suspensum mari iungat. Perinde auditus fallacia reus: ut cum caeleste murmur putamus, & plaustrum est, vel tonitruum meditante pro certo, de plastro credimus sonitum. Sic & odoratus, & gustus arguuntur, siquidem eadem vnguenta, eademque vina posteriore quoque usu depreciantur. Sic & tactus reprehenditur, siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus leniora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentissimus primò, dehinc temperatissimus renunciatur. Eodem faciunt Philonis verba in lib. de temulentia: *Quinis corporis, animæque motus, siue iuxta naturam, siue contra factus causa est, ut quæ apparent mutari videantur in consistentibus somniis simillima: Nec minima causa imaginationum inconstantia sita est in consideratione in distantis, in locis, quibus continentur singula: An non videmus in mari pisces extensis natantes pinnulis semper maiore specie, quam re vera sunt? itidem remos, vel rectissimos, fractos in aqua videri contingit. Hæc longè falsissimas imagines obicientia solent mentem decipere. Interdum enim, cum sint exanimata, putantur viuere, & è diuerso, quæ viuunt esse mortua: item quæ stant, moueri: quæ mouentur,**

moventur, stare: quæ accedunt, recedere: quæ recedunt accedere: brevia videntur, quæ praelonga sunt: quæ angulos habent, dices reterea, aliaque innumera fallunt aspectum, quibus nemo prudens tanquam certis subscriberet.

18 At maioris claritatis, & confirmationis gratia quæres, unde nobis constet, rem certo, & evidenter se habere uti affirmatur? an, quia intellectus ex se id iudicat: & hoc falsum est cum intellectus ex se nihil possit iudicare, aut cognoscere, nisi dependenter à sensibus: an, quia sensus aliquis sic renunciat? & hoc frivolum est; cum enim sensus nostri sapissime fallantur, eorum iudicium haud potest in nobis esse sufficiens causa certitudinis, & evidentiae.

19 Obiiciunt tertio Heraclitus, & Cratylus confutata à nobis sententia sectatores, non minus quam Pyrrhon j, & Academicus novi. Omnes res fluminis more labuntur, & prætereunt, nihilque in eis est fixum, aut stabile: nullius ergo rei potest inesse nobis scientia, siue evidentia, ac certitudo; nisi vero, quod statim disparet, id comprehendere, ac certa, & evidenti ratione possimus assequi: quo tamen quid inuenerisimilius? Quod autem magis miretis, hac eadem ratione ductus videtur sustulisse sensibilibus saltem scientiam Augustin. tom. 4. in lib. 83. quæstionum quæst. 9. Omne, inquiens, quod corporeus sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur, velut cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in iuventute efflorescit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest: illud enim percipitur, quod scientia comprehenditur: comprehendere autem non potest, quod sine intermissione mutatur. Haec tamen ille.

20 Ad primum argumentum horum, quæ sunt obiecta, respondeo id, quod certum est, & evidens, ab aliquibus tamen posse negari. Primum enim, ut probationem contrariam in contrarios retorqueas, lux quantumvis luceat, & evidens sit, potest aliquos latere, ab hisque non videri: aut quia procul positi sunt; aut si coram adsunt, quia oculis sunt cæcipientibus, malèque dispositis: Quidni ergo veritas aliqua, ut certa & evidens, à quibusdam tamè non cõprehendatur, sed potius negetur? ob aliquam scilicet indispositionem potentia intellectus, quæ præditi sunt, & quia oculis, sin minus externis, & corporis, at saltem interioribus cæcitiunt? Secundò: potest aliquid esse practicè probabile, licet unus duntaxat Doctoris iudicio & assensu nitatur, & non tantum ab aliquibus, sed à reliquis omnibus auctoribus negetur; quia nimirum ratio, quæ nititur vni, potest eius esse efficacitatis, & ponderis, ut auctoritatem cæterorum, quantumvis numerosam vincere possit. Ita Azor. part. 1. lib. 2. cap. 13. Baldellus in Theologia morali l. 4. disp. 1. n. 5 pluresque Theologi & Iuristæ: & colligitur ex l. unica, C. de vet. iur. enucl. Quemadmodum ergo probabilitati alicuius rei, de qua dubitatur an fieri possit, neutiquam obstat, quod ab omnibus excepto vno fieri posse negetur, cur certitudini, & evidentie alicuius veritatis obesse possit, quod ab aliquibus negetur. Atque hinc patet ad quatuor exempla contraria in communi. Quo tamen minore faceffant difficultatem, libet ea singulatim euctere.

21 Quod ad primum eorum attinet; etsi de aliarum rerum evidentia dubitari fortasse posset, ac non de albedine niuis. Fatemur Anaxagoram niuem negasse albam: negavit tamen, quia ciebat, aut potius scire sibi videbatur aquam, unde illa concreta esset, nigram esse: hac autem coniectura quid ineptius, magisve ridiculum? In primis enim aqua non nigra,

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

sed cærulea ut plurimum est: hinc mare vocatur cæruleum, seu potius cærulea substantiæ ut patet ex Virgilio 3. Aeneid.

Admixti torquent spumas, & cærulea verrunt.

Deinde etsi Poëtarum aliqui existimant fore, ut aqua homini nigra apparet, si profundior esset, atque copiosior, ut refert Manutius in Ciceronem ubi supra; imò etsi nigrorem non apparentem, & euanidum, sed potius narium, insitumque haberet, idque absolute, & non ex aliqua hypothese, siue conditione; cæterum inde conchi non posset, niuem esse nigram. Neque enim effectus debet esse magis concolor causæ suæ, quam consubstantialis: at multi effectus causis suis substantialiter, siue quoad naturam atque essentiam sunt dissimiles. Melior fortasse coniectura pro Anaxagoræ errore asserti posset, nempe hæc: videmus corpora nigra, si valde lævia, & polita sint, splendorem quendam, ac lucem extrema sui superficie contrahere: quidni ergo talis esse possit natura, & dispositio niuis, ut quantumvis nigra sit, lucis tamen cuiusdã candorem undique concipiat, adeoque alba appareat? Verù aliud est corpora lævia, atque polita lucis irradiatione splendere, aliud ea albescere: illud prius sæpè quidem evenit, posterius vero nunquam, ut experientia compertum est: haud ergo possunt efficere lux læviorque niuis, ut hæc si nigra sit, appareat tamen alba: talis ergo cū appareat, haudquaquã est reapse nigra.

23 Quod spectat ad secundum exemplum contrarium, probabile est, quod ait Arist. lib. 4. met. cap. 4. text. 28. qui asserebant, idem simul esse & non esse, non tam re ipsa, quam lohi verbis id asseruisse. Nam, inquit, ita philosophantes puteum, aut præcipitium proximum aliquando declinabant: ergo quia non similiter existimabant, bonum, & non bonum cadere, sed potius esse destinatè bonum non cadere. Quod vero pertinet ad tertium exemplum aduersariorum, his temporibus leue admodum censeri debet, cum in Cõgregatione quadam Cardinalium deputata ad indicè librorum sub Paulo 5. damnata sit eorum opinio, qui adstruunt terram moveri, caeloque, & sydera stare. Verba Congregationis sunt hæc: Et quia ad notitia præfata S. Congregationis peruenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam scripturaque diuina omnino aduersantem de mobilitate terre, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de revolutionibus orbium cælestium, & Didacus Asturica in Job docent, iam divulgari & à multis recipi, sicut videre est ex quadam epistola impressa cuiusdam P. Carmelita (videlicet Pauli Toscarini) in qua dictus Pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terre esse consonam veritati, & non aduersari S. Scripturæ: ideo ne ulterius huiusmodi opinio in perniciem catholica veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de revolut. orb. & Didacum Asturica in Job suspendendos esse, donec corrigantur, librum vero Pauli Toscarini Carmelita omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes, prohibendos, prout præfati decreto omnes respectuè prohibet, damnat, atque suspendit. Quæ propter Bartholom. Amic. tract. 5. de cælo q. 6. dub. 2. art. 2. docet eam opinionem non posse defendi. Contraria ergo statuens, tellurem esse immobilem est omnino certa. At certe talem eam esse, planèque evidentem constat ex dictis à nobis in Physica lib. 8. tract. 2. cap. 1. ubi quas posuimus rationes, si assequerentur Pythagorici, alique tum antiqui, tum recentiores supra citati, nullam terræ vertiginem, motumque adstruerent.

24 Quartum denique exemplum superius obiectum nil fauet contrariæ sententiæ, nil officit nostræ. Verceter enim illi Gentiles non, ut eis affingit Muretus, defuncto

K k

defuncto

defunctorum cadauera, sed cum illis claufas vmbras suas, ac tenues quasdam sine corpore vitas sentire, ac superimposita mole premi, & fatigari superstitione putabant. Multa de his vmbis sensu ac motu præditis Virgilius, multa alij teste nostro Cerda in 6. Aneid. celebre illud Ouidij.

*Bis duo sunt homini: manes, caro, spiritus, umbra:
Quatuor ista loci bis duo suscipiunt.*

*Terra tegit carnem: tumulum circumuolat umbra,
Orcus habet manes: spiritus astra petit.*

Vbi, quod ait vmbras iuxta sepulchra circumuolare, neque eis claudi, haud ita intelligendum est, quasi id semper accidere putaret, sed quod interdum. Hinc ergo ritus ille tumulandorum corporum glebis, non solidis, & integris, sed in puluerem comminutis: hinc ea formula; *sit tibi terra lenis; molliter ossa cubent*; aliaque similes.

25 Ad secundum argumentum aduersariorum respondeo, in primis sensus nostros nullatenus errare posse circa sensibilia propria, penes eorum genericas saltem, & vniuersales rationes, v.g. visum, haud esse erroris obnoxium circa colorem, aut auditum circa sonum, aut gustum circa saporem, &c. ergo circa huiusmodi obiecta poterit intellectus noster non falli, eaq; porius certo & euidenter cognoscere, vtvt illo tempore notitiam à sensibus hauriat. Insuper secundò: quod dici solet, sensus nostros decipi circa sensibilia communia cuiusmodi sunt distantie rerum, & indistantia, magnitudines, & paruitates, motus, ac stationes, &c. necnon circa sensibilia propria non vniuersalissime, sed potius in particulari sumpta, vt v.g. cum oculorum sensus quod est album, vt viride repræsentat, & lingua cibum dulcem vt amarum, errabunda scilicet applicatione qualitatis illius, quæ est in medio, vel organo, ad alienum subiectum; hoc inquam accipiendum est, non quasi sensus nostri decipiantur formaliter, ac proprie; ita enim decipi nulla facultas potest, nisi iudicativa, siue pollens vi affirmandi, & negandi; sed ita, vt eorum perceptio, & error sit virtualis, eo nimirum, quod propter imperfectionem functionum suarum, interuenientiumq; plurium causarum præbeat intellectui nostro occasione errandi, vt optime nostri Conimb. lib. 2. de anim. c. 6. q. 6. art. 2. parum ab initio: Quandoquidem ergo sensus materiales adeo imperfecti suapte natura formaliter errare nequeunt, quidni intellectui nostro id perfectionis tribui debeat, vt circa aliqua obiecta falli nequeat, eaque potius certo, & euidenter cognoscat?

26 Vltèrius teritiò: quamuis sensus nostri intellectum aliquoties falli efficiant, adeoque ipsi fallantur quodammodo, at certè non mentiuntur: semper enim habent causas, ob quas ita repræsentent obiectum intellectui, vt hic circa illud decipiatur: quo pacto si Petrus, v.g. fallatur, ac Paulum etiam in falsam inducat æstimationem, & opinionem ob causam rationabilem, & putans se verum renuntiare, haudquaquam censendus est mentiri. Ita August. lib. de vera Religione c. 33. sic inquit: *Quod si non solum ipsi* (scilicet oculi) *sed omnes corporis sensus ita renuntiant, vt afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro. Tolle itaque vanitates, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde auferitur integrari, non malum habet internuncium, sed malus est index. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentiri, nec aliter debuit: si enim aliud est aer, aliud aqua, instum est, vt aliter in aere, aliter in aqua sentiantur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est, vt ratum videat: sed animus peruersè iudicat.* Ita quoque ex Augustino Anselmus Dial. de veritat. c. 6. ibi: *Non mihi videtur veritas, vel falsitas in sensibus esse, sed in opinione, ipse namque sensus interior se fallit, non illi*

mentiuntur exterior. Et infra: *Cum fustis integer, cuius pars est intra aquam, & pars extra putatur fractus, aut cum putamus, quod visus noster vultus nostros inueniat in speculo, & cum multo alia nobis aliter videntur, visus, & alij sensus nunciare, quam possint, non culpa sensuum est, qui renuntiant, quod possunt, quoniam ita posse acceperunt; sed iudicio anime imputandum est, quod non bene discernit, quid possint illi, aut quid debeant.* Ita etiam Tert. in l. de anim. suprà citato ibi: *Vt in aqua remus inflexus, vel infractus appareat, aqua in causa est: idemque extra aquam integer visui remus: tenebris autem substantia illius, qua speculum ex lumine efficitur proxi ista, seu mota est ita, & imaginem vibrans euerit lineam recti. Item vt turris habitus eludat, interualli conditio compellit in aperto, equalitas enim circumfusi aeris pari luce vestiens angulos oblietrat lineas. Sic & vniuersitas porticus acuitur in fine, dum acies in conclusio stipata, illic tenuatur, quo & extenditur. Sic & celum mari vnitur, ubi visio absimitur, quæ quandiu viget, tandem diuidit. Auditum vero quid aliud decipiet, quam sonorum similitudo? Etsi postea minus spirat vnguentum, & minus sapit vinum, & minus lacus fernet, in omnibus ferme prima vis tota est. Ceterum de scabro, ac leui merito manus, ac pedes, tenera scilicet, & callosa membra dissentiunt. Igitur hoc modo nulla sensuum frustratio causa carebit.*

27 Tum sic ergo argumentor. Nunquam falluntur, nunquam etiam fallunt sensus, nisi veras quasdam ob causas: has ergo cum possit, soleatque detegere intellectus, erroremque sensuum corrigere, vt cum Astrologi Solem, v.g. contra quam oculi renuntiant multo maiorem esse tota telluris mole demonstrant; quid est, quapropter sensuum deceptio semper præiudicat intellectui, semperque prohibeat, quominus plura euidenter, ac certa ratione assequatur? Tandem cognitio intellectus nostri haudquaquam pender à sensibili velut à principali causa, sed tanquam à minus nobili, ac mera conditione sine qua non; quatenus videlicet sensus nostri mediis speciebus, quas excitant in intellectu, ei proponunt, ac simpliciter applicat obiecta, quæ alio modo, ac per iudicium, & discursum cognoscat. Quocirca causa præcipua ob quam intellectus certò, & euidenter iudicat, v.g. quodlibet esse, vel non esse; repugnare, vt idem simul sit, & non sit, omne totum esse maius sua parte, &c. atque ex his, & aliis id genus principiis innumeras colligit conclusiones, est naturale lumen ei diuinitus inditum, & quasi impressum iuxta illud Regij vatis Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Quid mirum ergo, si cognitio intellectualis nostra possit esse perfectior, magisque certa, & euidenter, quam sensitiva, esto ab ea quodammodo proficiatur; haud secus, ac forma substantialis ignis, v.g. perfectione superat applicationem localem, mediante qua velut conditione est in ligno producta. Ex his facile est in forma, vt aiunt, ad secundum illud argumentum contrarium respondere.

28 Ad tertium cum Conimbriensis in procemio Physic. q. 2. art. 2. ad finem, & Auerf. q. 26. Log. sect. 1. respondeo: quod res omnes sint instabiles, & quamprimum existunt, statim dispereant, haud obstat posse, quominus momento saltem sciatur, quamuis non diu, & permanenter. Rursus secundò: plures res sunt omnino stabiles, & interitui minimè obnoxie, vt cæli, animæ rationales, Angeli, & Deus Optimus Maximus: harum ergo rerum quidni sit scientia, certa, & euidenter cognitio? Teritiò: corpora sub lunæ cauo contenta, eorumque attributa haud sunt adeò fluxa, quin aliquo tempore, eoque sæpè non exiguo durent: quidni ergo par sit saltem durationis scientiam mereantur? Tandem: res, tametsi quoad existencias suas instabiles

instabiles sint, ac multis vicissitudinibus subiectæ; at nequaquam penes earum prædicata essentialia: hæc siquidem sunt æterna, & immutabilia: semperque, & necessario verum est, hominem v. g. esse animal rationale, leonem animal rugibile, &c. De rebus ergo, ut minimum essentialiter sumptis, poterit esse scientia. Et quidem haud alia eas ratione sub scientiam cadere contendimus.

29 Quod ad Augustinum attinet, hoc solum contendit loco illo nobis obiecto, iuxta B. Thomam, Conimbricenses, & alios communiter, haud posse à nobis sciri, ac stabiliter comprehendere res istas corporales per solos sensus, sed potius earum scientiam, & comprehensionem esse propriam intellectus ministerio sensuum ut entis. Nimirum transeunt eiusmodi res, & continuò deficiunt, & cum eis sensuum actus, quibus illas videmus, audimus, &c. at non transit, nec deficit in nobis earum scientia: hæc ergo haud est sensibus, sed intellectui tribuenda. Quare post obiecta nobis verba, statim addit Augustinus: *Non est igitur expectanda sinceritas veritatis à sensibus corporis.*

C A P V T III.

An omnis euidencia, ac certitudo nostra formalis sit mera reminiscencia obliorum.

30 **P**rima opinio est, animabus nostris olim inditos fuisse scientiarum omnium habitus: at in hac vita, & veluti carcere, & exilio eas rerum, quas antea sciebant, obliuisci; nimirum quia

Virgil.
Æneid.
lib. 6.

*noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.*

Quapropter nostrum discere haud esse vilius à nobis euidencia, vel certitudinis habitum denuò comparari, sed duntaxat obliorum reminisci, & pristinam illam lucem mortalitatis nostræ nebulis vndique circumfusam, ac pene extinctam, ministerio sensuum, ac phantasmatum inualescere, sique recuperare vsuram, & copiam. Ita Plato libro 10. de republica, & in Menone, Phædro, aliisque locis, atque cum eo Iamblicus, Priscianus, Alcinous, Porphyrius, Macrobius, Lydius, Cicero, Simplicius, Plotinus, & alij sequaces: Item Pythagoras, ut de eo refert Augustinus libro decimosecundo, de Trinitate, capite decimoquinto.

31 Primum argumentum Platonis pro sua sententia est, animas nostras ante corpora extitisse, ac postquam in comparibus stellis eas Deus constituisset, deindeque cœlestium rerum fastidium, ac terrenarum amor illas cepisset, ut tanti criminis pœnas darent, corporibus veluti quibusdam ergastulis fuisse inclusas. Atqui minimè decuit, ut in pristino illo statu animæ nostræ scientiarum omnium luce carerent, atque in tenebris plus, quam Phariis, ac Cimmeriis iacerent: omnium ergo scientiarum habitibus præditæ fuere ab initio. Quoties ergo nunc aliquid discendo euidenter, ac certo cognoscimus, ea cognitio haud patit nouum aliquem habitum, sed potius recordando prouenit à pristino quodam, ope phantasmatum excitato, cum antea esset veluti semi sopitus.

32 Secundum Platonis argumentum sic habet. Si interrogetur puellus quidam ordinatè, & gradatim de rebus quibusdam Geometricis, v. g. aut alterius cuiusvis facultatis sibi inaudita, experientia constabit, eum ad omnes rectè responsurum: earum igitur

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

notitiam habitualement, aut virtualement ante habuit, quamuis multa caligine obrutam, nec aliud per interrogationes sibi factas, imprellaque sibi phantasmata, quam illam accendit, ac reminiscendo excitat: quidni ergo idem vsuueniat, quando, non tam interrogamur, quam docemur? Tercium eiusmodi placiti argumentum est tale. Quod discimus, aut antea id noueramus, aut secus? Si secundum, quo pacto inuestigare possumus, ac disciplinæ labore inquirere, quod prorsus nescimus? qua ratione sine scopo villo nobis proposito collimare? Si primum, nullius certe notitiæ habitum denuò comparamus, sed potius nostrum discere haud aliud est, quam recordari.

33 Quartum eiusmodi opinionis argumentum est huiusmodi. Certitudo, & euidencia formalis, quibus discendo haud dubiè fruimur, aut proueniunt per quandam recordationem ab habitibus scientiarum nobis meliore nostri parte coævis, ac multo ante disciplinam omnem existentibus; aut potius originem habent à sensibus, & postquam ab his sunt ortæ, scientias habituales denuò nobis ingenerant. Secundum dici non potest, cum sensus nostri ludificentur passim, nosque in errorem, & falsam æstimationem sæpissimè inducant: Admittendum igitur est illud prius, quod erat intentum, Quintò denique pro Platonico dogmate aliqui sic arguunt. Quando magister erudit discipulum, aut hic signorum, quæ sibi proponuntur vim antea tenet, aut eam ignorat. Si secundum; qui eis doceri, vel instrui potest magis, quam si homini latino proferantur Græca verba. Si primum; ergo discipulus scientias, quas docetur, antea callebat, cum illæ sint subiectæ verbis ad se datis, & horum significationem sine magistro prius perspectam, & cognitam habear. Haud ergo discere nostrum est scientiarum habitus denuò comparare, sed earum memoriâ vocibus ad nos destinatis, aliove pacto refricare.

34 Secunda tamen sententia priori hæctenus propositæ opposita, quam cum Aristotele 1. posteriorum cap. 1. & 1. metaphys. cap. ultimo tuentur Peripatetici omnes, & cum B. Thoma 1. part. quæst. 84. artic. 3. & quæst. 117. artic. 1. ceteri Theologi, est non solum verisimilior, sed planè certa. Suadetur autem primò: quia quod statuit contraria, animas nostras ante corpora extitisse, damnatum est in Concilio Bracharensi primò cap. 6. necnon à Leone primo in epist. ad Toribium Theophilo Alexand. lib. 1. Paschali. Epiphano in ep. ad Ioannem Ierosolymitanum August. ep. 28. ad Hieron. Cynillo Alexand. lib. 1. in Ioan. c. 9. Hieronymo in ep. ad Pammachium contra Ioannem Ierosolymitanum. Iam quod fingit diuersa opinio, animas nostras in scelerum suorum vindictâ coniectas esse in corpora tanquam in carcerem, repugnat, tum adductis Patribus, tum etiam doctrinæ Pauli, qui incipit ad Romanos cap. 5. definit, per vnum hominem peccatum introisse in mundum, & cap. 6. Iacob, & Esau prius, quam nati essent, nihil mali, aut boni egisse. Hæc cum ita sint, ruit planè potissimum contrariæ sententiæ fundamentum, adeoque nostra citra dubium est amplectenda.

35 Quæ probatur secundò alterum diuersæ sententiæ euertendo fundamentum, cuiusmodi est, animas nostras scientiarum omnium obliuisci, quamprimum demittuntur in hæc terreni corporis vincla. Nam in primis quando, ut refert Tertullianus c. 22. de anima eam esse innatam, & æternam censuit Plato, qui fieri potest, ut sit obliuionis capax? an non ridiculum est, eam id genus sortiri perfectionem, quæ vel sola sufficiens est diuinitatis argumentum iuxta omnes

illas denuò comparari : idem ergo de his dicendum. Septimò sic arguo : vt magister in discipulo non causat scientiam denuò iuxta Platonem, sed tantum eius intellectum excitat, ac disponit, vt eorum, quæ habitu scit, actu recorderetur, ita etiam de eiusdem philosophi sententia, *agentia naturalia*, vt verbis B. Thomæ suprà prima parte, quæstione 117. artic. 1. vtat, *solummodo disponunt ad susceptionem formarum, quas acquirit materia corporalis per participationem specierum separatarum.* At quod agentibus naturalibus inest virtus, non solum dispositiua, sed etiam effectiua, & quod ignis, v.g. non solum calefaciat, ac desiccet passum, sed etiam formam substantialem ignis in eo efficiat, vel per se immediatè, vel certè per sua accidentia, & per se est manifestum, & à nobis manifestè demonstratum est lib. 4. physicorum tract. 7. cap. 1. & 2.

42 Octauò argumentor. Reminisci, est nobis iterum in mentem venire rei antea cognitæ, vt cognitæ : nostrum ergo discere, si est duntaxat recordari, certè à magistro edocti haud tantum cognoscimus simpliciter rem ipsam, sed etiam eius nos prius habuisse notitiam aliquam : at inter discendum nihil tale nobis contingere experimento satis constat. Tandem arguo : si verum esset Platonis commentum, haud esset adeo difficilis, & operosa omnis disciplina, ac experimur : siquidem imprimi phantasmata, quò eorum luminibus inclarescant in nobis scientiarum habitus corporis huius mole obruti, satis facile est, vt liquet. Et certè, quæ semel didicimus, si fortè nobis postea exciderint desuetudine quadam, ea iterum discere, ac repetere, sæpe sapientis sine multo labore possumus, ac solemus : quid est ergo, quapropter non sit eadem ratio illorum, quæ sine vlla disciplina prius nobis esse nota, sin minus actu, at saltem habitu, aduersarij confingunt.

43 Summa igitur nostræ, ac veræ sententiæ est, intellectum nostrum corpori primò coniunctum esse veluti tabulam nudam, siue rāam, & in qua nihil sit depictum : præsidio autem phantasmatum, tum exteriorum, tum etiam, ac multo maxime interiorum eum prius apprehendere terminos simplices, videlicet esse, non esse, simultatem, rationem totius, partem, subiecti, accidentis, &c. deinde eos inter se componere, & diuidere formando virtute sua naturali prima, ac notissima principia, vt quodlibet est, vel non est, impossibile est, idem simul esse, & non esse, omne totum est maius sua parte, omne accidens est in aliquo subiecto, &c. rursus ex his propositionibus, aliisque per se notis alias minus notas colligere, variarumque conclusionum, siue scientiarum habitus comparare. Quamuis autem Platonici existiment, intellectum in prima sui coniunctione cum corpore potius se habere veluti tabulam semi deletam, ac non certè nullis, sed imperfectis exaratum characteribus, iisque, qui solum egeant perfici, & quasi illuminari per phantasmata; ceterum illos falli, satis demonstratum manet hætenus.

44 Ad primum autem eorum argumentum ex dictis in prima, & secunda nostræ opinionis probatione claret. Ad secundum, dicendum est eas, puero alicui nullis in præfens erudito litteris interrogatio- nes fieri posse & solere, quibus omnibus rectè respondeat : at non propterea, quod habitus aliqui illius scientiæ, circa quam interrogatur ei sint congeniti; sed quia res ipsæ sunt suapte natura faciles, necnon facili, & bona methodo propositæ, ac proinde tales, ad quas assequendas ei sufficiat solius intellectus naturale lumen. Et quidem si ex
R. P. Richardi Lincci, Philosoph. Tom. III.

præexistencia habituum oritur vis illa respondendi in puero literarum ignaro, cur non etiam respondeat ad res paulò difficiliiores? cur non ad easdem alia methodo, & non gradatim, aut ordinatè propositas? Cur item omnes similiter iis non assentimur conclusionibus, cum ex æquo insint omnibus naturaliter earum habitus? Cur denique aliquando circa eas, non solum cohibemus assensum, sed etiam erramus, ac falsò iudicamus? haud enim ab ideis, habitibusque scientificis, qui sunt earum participationes quidquam potest oriri falsum.

45 Tertium argumentum aduersariorum omnem de medio tollit disciplinam, & ne id nobis relinquit, vt vel reminiscendo discamus : siquidem aut eius rei, cui addiscendæ operam nauamus, recordamur, aut secus. Si secundum; quo pacto inquirimus rem, cuius omnino obliuiscimur, cuiusque comparatione perinde se habet intellectus noster, ac si nunquam eam cognouisset antea; hæc enim est conditio obliuorum? quæ ratione collimamus nullo nobis scopo veluti ad ictum designato? Si primum; certè nostrum discere, non solum non erit denuò scientiam comparare, sed ne præteritam scientiam memoria repetere; adeoque nihil prorsus. Absolutè respondeo; ea, quibus studium impendimus à nobis implicite, & confusè cognosci, non verò explicite, & clarè : posteriorem autem ignorantiam satis, superque esse, vt scientiam possimus acquirere denuò : priorem vero cognitionem, vt quod discimus nos haud omnino lateat, nec sine meta, & quod aiunt, in auras telà contendamus. Porro non pauci implicitam illam, & obscuram rei notitiam eius discipline, ac studio necessaria ratione præuiam existimant haudquaquam coherere cum præcisione obiectiua aliarum formalitatum ab aliis. Nobis tamen, atque, vt arbitramur, grauioribus scholasticis magis placet, præcindi ex parte obiecti alias formalitates ab aliis quotiescunque rem vllam cum aliqua confusione, & obscuritate cognitam amplius scire cupimus, atque, vt voti sumus compotes, tum nostra industria, tum etiam opera magistri vrimur. Vide quæ circa hoc Platonis argumentum latius disputata sunt in Dialecticæ libro octauo, tractatu quinto, capite 9. Quartum aduersariorum fundamentum haud est magis solidum : nam & paulò superius in summa, & epilogo nostræ sententiæ breuiter à nobis perstrictum est, & cap. præc. in solut. 2. argumenti vberiori filo demonstratum, quo pacto euidencia; & certitudo proficisci possit à sensibus, quantumuis ludificentur passim, ac multis sint erroribus obnoxij.

46 Ad postremum argumentum contrarium dicendum est, ei, qui docetur prius nota esse signa, ac verba, quæ sibi proponuntur; at sigillatim, & diuisiuè sumpta, non vero in vniuersum, & copulatim vsurpata : verbi gratia, eum scire, quid significet homo, quid animal rationale, quid risibile, quid admiratum, &c. at ignorare donec edoceatur, an homo sit animal rationale? anve omne risibile sit admiratum? prior autem notitia vocum, ac signorum satis, superque est ad hoc, vt iis instrui, & erudiri possit; quod autem posteriori illorum notitia sit antea destitutus, sufficiens est, vt scientia illa, ac facultate, quam addiscit, in præfens careat, vtque ne frustra ab eo discendi suscipiatur labor. Instabis tamen; discipulum sine magistro prius scire, quid significet tota hæc oratio complexa : *homo est animal rationale* : quæ item sit vis huius : *omne risibile est admiratum* : quæ denique cuiusvis alterius : *perperam*

K k 3 ergo

ergo à nobis responderi, signa copulatiuè, & in complexo sumpta haud esse dicenti ante disciplinam omnem cognita, ac nota. Sed in promptu est huius solutio difficultatis: nam etsi ex suppositione, quod termini illi incomplexi copularentur inuicem, uti supra, talis eorum constructio sit discipulo prius nota hoc solo, quod sit idiomaticis, quo docetur, gnarus; ceterum, an ita debeant copulari, & construi eum prorsus latet, quousque magister adsit tales orationes externas, ut veras ei proponens, quo videlicet illarum adminiculo addiscentis intellectus velut causa principalis in se assensum, ac scientiam producat.

- 47 Beatus Thomae 1. parte, quæstione 17. articulo 1. ad 4. postremo argumento nuper à nobis soluto respondet: *Signa, quæ magister discipulo proponit, esse rerum notarum in vniuersali, & sub quadam confusione, sed ignotarum in particulari, & sub quadam distinctione.* Ceterum signa à magistro proposita esse ei, quem erudit prius nota, at vniuersaliter, & confusè, non vero in particulari, & distinctè, haud aliud, ut reor, est, quam ea sigillarim, non vero complexè sumpta præcognosci: tunc enim distinctè noscimus hominem, verbi gratia, quando eum esse animal rationale scimus; tunc confusè, quando id ignoramus; tamen alioqui nullius eorum terminorum per se sumpti vis nos prætereat. Par autem est ratio quarumvis aliarum vocum, ac signorum.

CAPVT IV.

Certitudinis, euidētiæque formalis, tum definitio, tum etiam diuisio.

- 48 **C**ertitudo propriè sumpta in actu intellectus nostri haud aliud est, quam infallibilitas, siue quod non possit ei subesse falsum: aut aliis terminis, est eius adhesio, ac determinatio ad veritatem obiectiuam, aut quod nequeat non esse formaliter verus. Ita P. Vasquez 1. part. disputatione 68. numero 33. & 34. & disputatione 65. numero 20. P. Gilius lib. 1. tract. 4. cap. 1. P. Hurtadus disputatione 8. de anima, sectione 4. P. Arriaga disputatione 16. Logica sectione 4. & communiter ceteri Doctores. Sic certa manus dici consuevit ea, quæ est aberrandi nescia, atque infallibiliter, ut sic dicam, scopum attingit, ut præter alios Martialis libro primo, epigram. 13. de prægnanti suæ per vulnus interempta simul, ac soluta.

O quam certa fuit librato dextera telo!

Hanc ego lucina credo fuisse manum.

Sic etiam voluntas fixa, & determinata alicuius facinoris, certa dici solet, certumque nobis esse, quod ita volumus, ac decernimus. Qua phrasi, ut alios mittam, Virgilius vtitur lib. 9. Æneidos 6. Turnum Troianos obsessurum ita infert loquentem

- 49 *Luce palam certum est igni circumdare muros*

Dices tamen: quivis actus verus est infallibilis, siue nulla ratione potens reddi falsus, quivis determinatus ad hoc, ut sit verus: tum, quia ex suppositione, quod semel sit verus, haud potest esse in alio instanti falsus: tum, quia nulli non est essentialis sua veritas, sic, ut eam, non tantum ex hypothesi aliqua, sed ne simpliciter etiam possit non habere: at non omnis actus verus est certus: multis enim probabilibus, & incertis inest veritas: perperam ergo à nobis est definita rectitudo per infallibilitatem, aut determinationem ad verum. Ceterum huic instantiæ haud est difficile respondere. Nam infallibilitas per quam

definiuimus certitudinem haud est secundum quid, vel ex suppositione, sed talis, ut merito illius veritas non solum habita in vno instanti non possit deperdi in alio, verum etiam non potuerit non haberi, vel in primo instanti. Rursus ea debet esse, quæ, nec in ipso actu, cui conuenit, nec in alio ex modo tendendi sibi simili possit vinci, aut depelli per contrariam falsitatem. Hinc ergo est, ut multi actus veri possint non esse certi iuxta nostram certitudinis definitionem. Siquidem hæc propositio probabilis, verbi gratia, *Petrus currit in instanti* A nunc à me edita, tamen non possit in sequenti vilo instanti veritatem suam cum falsitate commutare, at potuit in primo ea carere: quod si ne in primo instanti suæ productionis potuit falli, certè alteri actui circa idem obiectum potuit tum subesse falsum, licet eodem nitatur motivo, sitque similis repræsentationis: alterutrum autem horum, ut ex dictis colligere est, sufficit ad illius propositionis incertitudinem.

Certitudo triplex est, moralis, physica, & metaphysica. Certitudo moralis est eius actus, cui moraliter non potest inesse falsitas: cum enim iuxta regulas moris, ac prudentiæ nemo non debeat non iudicare, eum esse verum, perinde se habet ac si re ipsa non posset ei subesse falsum. Qua ratione moraliter certum est, quod vir bonus, & sapiens cum iuramento ita affirmat, ut ex opposito nullum emolumentum sperare, damnumve timere possit: quanquam id fateor, ne tantum requiri, ut debeamus rei alicui nobis propositæ assentiri, deque ea esse moraliter certi.

Huiusmodi est certitudo, qua, & non maiori sapissimè nititur prudentia in agendis rebus: siquidem, ut prudenter, & rectè operemur, haud est necesse, ut iudicio nobis prælucenti non possit subesse reuera falsum, sed satis est iuxta regulas moris, & prudentiæ haud possit ambigi de eius veritate, quod est illud esse moraliter certum. Non me latet Gilbertum 6. ethicorum tractatu quarto, quæstione vniuersali dub. 1. Picardum discursu 3. ethicorum capite 3. §. 1. Martinum de magistris quæstione 1. de ebrietate in solut. noni argument. contra 2. partem octauæ conclus. in iudiciis, quæ sint regulæ humanarum actionum desiderare maiorem certitudinem, utque reuera, & physice haud possit falli. Contrarium tamen tradunt Aristot. initio ethicorum. Seneca 4. de benef. cap. 33. Nider 3. part. consolatorij conscientia cap. 11. 12. & 13. & apud eum plures alij Doctores. Et quidem in colendis humanæ vitæ officiis haud requiritur certitudo, quæ sit supra captum nostrum: at eum passim superat physica, & falsitati reuera contraria; quæ scilicet est nostræ mentis imbecillitas, & negotiorum haud raro tenebrositas, & caligo: ea ergo ad passim operandum non est nobis opus, solaque moralis sufficit. An non inconsulte, & improvidè nobiscum egisser Deus, quos de plerisque physicè reliquit incertos, si nisi physicè certis haud liceret nobis quidpiam aggredi? an non physica certitudine semel desiderata, abstinendum hominibus esset bona, imo maiori parte officiorum, ne videlicet speculatiuè errandi sese periculo exponerent: moralis ergo certitudo satis, superque nobis est ad bene agendum. Denique quando ex his præmissis: egeno omni est eroganda elemosyna, sed hic est egenus, infertur hæc conclusio practica, ergo huic erogari debet elemosyna, sanè huiusmodi conclusio (quam, quis neget ad actum virtutis misericordiæ eliciendum, stipemque pauperi tribuendam sufficere?) haud esse debet certior, quam minor ex qua deducitur, aut eius minorem non oportet esse physicè certam,

certam, sed satis est, ut talis sit tantum moraliter, sic, ut prudenter attentis omnibus circumstantiis, debeamus ei assentiri, nec possumus, nisi imprudenter ei ei dissentiri, ut per se, ac sponte sua patet, utque colligitur ex Ildoro Pelusioti lib. 1. epistola 187. & Chiriofotomo homil. 2. de Lazaro, & aliis locis.

52 Certitudo Physica ei actui conuenit, cui falsum subesse nequit, nisi ordo naturæ inuertatur, & aliquid contra physicas rerum exigentias fiat per miraculum. Qua ratione certa est propositio intuitiua substantiam parietis existere affirmans, quia nisi Deus aliud miraculum Eucharistico simile patrare velit, & sine pariete, eius candorem, & alia accidentia conseruare, haudquaquam ea poterit reddi falsa. Eadem ratione quod sub visum nostrum, auditum, olfactum, aliumue sensum cadit, scilicet pacto, quo perstrictum est superius cap. 2. in solut. secundi argumenti ad solutionis initium, id omne profecto & physice certum.

53 Atque ad hanc certeitudinem respexit Fabius lib. 5. oratoriarum instit. cap. 10. inquit, pro certis autem habemus primum, quæ sensibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus. Eiusdem etiam respectu dixit Terullianus in lib. de an. cap. 17. non licet nobis in dubium sensus istos renouare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne forte dicatur, quod falso Satanam prospectari de calo precipitatum: aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam: aut deceptus sit, cum Petri socrum tetigit: aut alium postea unguenti secerit spiritum, quod in sepulchrum suum acceptauit: alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecrauit. Sic enim & Marcion phantasma cum maluit credere totius corporis in illo designatus veritatem. Atqui, ne in apostolis quidem eius ludificata natura est. Fidelis fuit, & visus, & auditus in monte: fidelis, & gustus vini illius, licet aqua ante in nuptiis Galilææ: fidelis & tactus, exinde creduli Thome. Recita Iohannis testationem: quod vidimus, inquit, quod adiunimus oculis nostris vidimus, & manus nostra contrectauerunt de sermone vite. Falsa utique testatio, si oculorum, & aurium, & manuum sensus natura mentiuntur.

54 Certitudo metaphysica est eius actus, cui, ne diuinitus potest subesse falsum, cuiusmodi est illud axioma: impossibile est idem simul esse, & non esse: quodlibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte: quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se: necnon ex his axiomatis alia multa, in quarumlibet materia facultatum deriuata. Quocirca si dixeris cum Seneca in Hercule Oëtheo

Ante nascetur seges in profundo,

Vel fretum dulci resonabit vnda;

Ante descendet glacialis vrse.

Sydus, & ponto vetito fruatur,

Aut cum Claudiano de consularu Probi.

Ante dabunt hyemes Nilum, per flumina damæ

Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus.

Ante Thyestæis iterum conterrita mensis

Intercisa dies refugos vertetur in ortus,

Quam actus metaphysice certe possit reddi falsus; metaphysicam nihilominus certeitudinem longè minorem, quam est in se effingens, atque eam infra haud modico subistes intervallo: siquidem præfatæ impossibilitates, & aliæ similes, quas poëta passim exaggerant, creatoris subduntur omnipotentia, ab eaque possunt superari: ac quod actui metaphysice certo error vllus insit, ne Deus ipse potest efficere.

55 Euidencia supra certeitudinem addit claritatem quandam, cui non possumus dissentiri: malignam illam quidem, ac parce micantem, si sit moralis; si

autem sit euidencia physica, maiorem; quod si metaphysica, maximam. Quo autem magis clareant, tum certeitudo, tum etiam euidencia, discutendum est, quousque distinguantur, & ab actu, in quem conueniunt, & inter se inuicem. Censeo primò, eas haud distingui realiter à cognitione, cui vna competunt: nam idcirco aer v. g. haud est per seipsum essentialiter clarus, quia potest claritatem exuere, & obscurus reddi, vel, cum nox diei succedit, vel, cum diem nubes fadant, & obumbrant: sed actus euidens, & clarus talis ne diuinitus non esse non potest, ut & per se palam est, & omnibus in concessio: ergo, &c. Vltèrius intellectus noster est, qui comparari debet cum aere isto, quò viuimus, ac spiramus, & non ille, sed cognitio nostra euidens, cum luce aeris illius, eumque irradiante: at quamuis aer esse possit tenebrosus lux tamen nequit non esse lucida: ergo, nec actus intellectus, nostri euidens poterit non esse clarus, ac dilucidus, ac proinde claritas, & euidencia ei est essentialis. Denique vnde potest habere cognitio euidens, quod talis sit, nisi à representatione sua? hæc autem ab illa non distinguitur: ergo, nec euidencia.

56 Quod autem attinet ad certeitudinem, eius etiam ab actu certo realis indistinctio suaderi est facilis: sequitur enim necessaria ratione euidenciam in actibus naturalis ordinis: idque circo actus omnis naturalis est certus, & infallibilis, quia est euidens, veluti videt, & conspicit quod est in obiecto: cum ergo euidencia iuxta dicta paulo superius sit inseparabilis ab actu, in quem conuenit, eadem ratione erit ab eo inseparabilis, adeoque indistincta certeitudo. Quod si sermo de actibus fidei diuinæ, cuiusvis certeitudo sequitur eius supernaturalitatem, & ob id nequit vllus saltem naturaliter, ac citra miraculum fallus esse, quia est ordinis supernaturalis: quando, igitur supernaturalitas ab eo est inseparabilis, certe certeitudo ab eo nec separari, nec distingui sustinebit. Adijce, ut est intelligibile prorsus, euidenciam cognitionis proficisci à modo aliquo ei realiter superaddito, & non potius à sola eius representatione, ita intelligi vniuersum non posse, aliam esse certeitudinis originem quam representationem propriam, ac peculiarem actus: cur enim hic vi suæ representationis inferat infallibiliter modum illum, in quo fingitur consistere certeitudo, & non possit infallibili ratione attingere immediatè obiectum suum, ac proinde esse certus seipso?

57 Censeo secundo, euidenciam, & certeitudinem nostrorum actuum distingui inter se ratione ratiocinata. Namque, quamuis non possit vspiam reperiri v. g. rationalitas hominis propria, hoc est vis intelligendi per conuersionem ad phantasmata, ac dependenter ab illis; quia tamen è conuerso potest alicubi, scilicet in belluis, inueniri animalitas sine rationalitate, id satis, superque est, ut gradus illi metaphysici distinguantur ratione ratiocinata, siue virtualiter intrinsecè. At in aliquibus actibus, videlicet fidei supernaturalis inuenitur certeitudo sine euidencia, tamen nusquam è contrario sit reperire euidenciam sine certeitudine. Quidpi ergo tales formalitates ratione distinguantur inuicem? Insuper, actus dicitur certus, quia non potest esse falsus, euidens autem, quia non possumus ei dissentiri: certeitudo ergo falsitatem, & euidencia contrarium dissensum excludit: ambæ ergo diuersa connotata respiciunt, sicut ad earum virtuales distinctionem oportet. Quod autem hactenus disceptauimus in transcurso de indistinctione reali, & distinctione rationis euidencie, ac certeitudinis, tum à se, tum etiam ab actu, cui sunt communes,

& Patri Hurtado disputatione 8. de anima, sect. 5. per totam, & aliis passim Doctoribus placitum comperio.

58 Pro maiori euidētia, ac certitudinis luce, & intelligentia secundo deliberandum nobis est, an actus quo credo, verbi gratia, Romam esse, quia tot homines id unanimi consensu affirmant, sit physice certus, & euidens, vel duntaxat moraliter? P. Hurtadus supra disp. 8. de anima semel, & iterum laudata, sect. 3, §. 18. 19. & 20. existimat, eum esse physice certum, & euidētem, *Quia, inquit, impossibile est physice loquendo, tot homines, tot seculis esse mentitos: unde non habeo minorem euidētem, Romam esse, quam omnem ignem esse calefactivum.* At eiusmodi actum, & quemuis alium similem esse duntaxat moraliter certum, euidētemque, tuetur P. Tannerus agens de obiecto Theologiæ 5. part. dist. 2. q. 5. dub. 3. & 4. estque communis auctorum sententia, & quantum conicio multis partibus verior.

59 Principio enim citra miraculum, & quin aliquid contingat contra naturalem rerum exigentiam omnes homines nascuntur in peccato originali, omnesque peccant exempli gratia, verbum aliquod oriosum proferendo: quidni ergo non omnes absolute, sed (quod minus est) quotquot attestati sunt Romæ existentiam naturaliter mentiri potuerint, atque id genus peccati ex æquo committere? Rursus secundo: si, quia tot homines affirmarunt esse Romam, id est etiam physice euidens, ac certum, profecto tale non poterit non esse, Deum esse trinum, & unum, & quodcunque aliud nostræ fidei mysterium, videlicet, quia tot martyres id, non voce modo, sed etiam sanguinis profusione, vitæque suæ dispendio sunt attestati. Atqui mysteria fidei nostræ suapte natura obscura, nihilominus propter testimonium martyrum reddi naturaliter, ac physice euidētia, certaque, haud secus, ac ea, quæ videmus, & audimus, est ipsa, ut sic dicam, falsitate fallius.

60 Respondet P. Hurtadus ubi supra martyres mysteria Fidei ut obscura credere, nobisque credenda proponere; quocirca in cognitionem nostram eos haud posse refundere claritatem, qua ipsi carent: ceterum qui testantur Romam esse, euidētia eius habent, & eam esse à se visam affirmant: illorum ergo testimonium, inquit, nobis potest euidētia facere rei attestata. Contra tamen: quia euidētia eorum, qui Romam viderant, eamque esse affirmant, quid prodest, ut meus, cui nunquam visa est, actus sit physice euidens, ac certus? Equidem, diuina reuelatio non facit mysteria nostræ Fidei euidētia physice loquendo: & tamen Deus ea reuelans habet illorum summam euidētia: quanquam ergo testantes Romam esse eam viderint, eiusque, quod attestantur, habeant euidētia, non propterea eam in cognitionem meam eorum soli testimonio innixam refundent, vel certe testimonia martyrum, mysteria Fidei sibi obscura, nobis tamen euidētia, & clara efficiunt. Discrimen ergo utrinque traditum nullius est momenti.

61 Tertiò: ad omnem ignem consequitur velut proprietas naturalis, quod sit calefactivus, ut sensu, & experientia claret: quid mirum ergo, si ignem in communi esse calefactivum sit physice euidens, ac certum? Atqui non mentiri non est singulorum, qui Romam esse attestati sunt naturalis, ac debita perfectio: quinimò cuius eorum contingit id genus perfectionis, illique est arbitrium, & liberum: haud ergo potest esse certum, & euidens physice eam omnibus perfectionem conuenire, ut omnes copulatiue non mentiantur circa existentiam Romæ: quod

igitur hæc sit, eius consequenter euidētia, ac certitudinis est expertus. Atque ex his constat ad rationem, qua innititur Pater Hurtadus loco nuper allegato.

62 Tandem pro huius doctrinæ complemento discipandum breuiter est, an actui physice certo, & euidēti possit subesse falsum, si miraculose fiat aliquid contra rerum exigentias: quod enim non possit, ubi natura suis iure legibus sinatur, superius est ostensum, cum esset à nobis definita certitudo, & euidētia physica, siue naturalis. Respondeo cum Patre Hurtado disputatione 8. de anima, sectione 3. reddi posse falsum diuinitus eiusmodi actum.

63 Primò, quia actui moraliter certo, & euidēti citra miraculum inesse potest error, & falsitas: ergo & actui physica certitudine, & euidētia prædito, saltem miraculose. Consequentia videtur bona. Antecedens est auctorum omnium; & merito: nam si vir grauis, & cordatus mihi iuret, Petrum, verbi gratia, esse egenum, ut exemplo superius posito insulam, actus, quo eius egestatem credo, & quo ad illam moueor subleuandam, est moraliter euidens, ac certus: at naturaliter, tam ei subesse potest falsum, quam citra miraculum fieri non repugnat, ut is, cuius testimonio fidem habeo, mentiatur.

64 Secundò: euidētia, ac certitudo physica, est longè minor, quam metaphysica, hæc autem, ne diuinitus potest cum errore vilo coherere: poterit ergo illa: alioqui certe pares erunt ambæ. Tertiò: cognitio, qua infidelis quispiam hostiam iudicat antea, quam consecratur esse panem, est physice certa, euidensque: conseruet eam cognitionem post consecrationem hostiæ, eiusque in Eucharistiæ Sacramento conuerfionem miraculosam in corpus Christi Domini: quæro, an ea tum sit euidens, & certa sicut antea, vel secus? Si primum; euidētia ergo, & certitudini physice potest per miraculum inesse falsitas, & error: sin autem secundum; ergo amittit actus ille euidētia, ac certitudinem physicam, ac proinde hæc ei non est essentialis, quod tam absurdum esse, ac si quis dicat, lucem hanc, quam oculis cernimus, non esse per seipsam, & essentialiter claram supra demonstratum est: & quidem accidentia, siue ante, siue post consecratam hostiam eodem modo sentiuntur: eodem ergo modo semper ducent in cognitionem substantiæ panis, cum qua sunt sponte sua connexa: quando igitur prius ad eam ducebant euidētia physice, haud aliter posterius ad eam conferent.

65 Quartò tandem id colligitur ex Augustino in lib. octoginta trium quaestionum, quaest. 9. ubi sic ait: *Omnia, quæ per corpus sentimus etiam, cum ea non ad sunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus adfuit, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur omnino, utrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilibus sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilibus falsa, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, & nihil percipi potest, nisi, quod à falso discernitur, non est constitutum indicium veritatis in sensibus.* Hæc ille. Quod si penes sensus nostros, quantauis euidētia, & claritate præditos non est iudicium veritatis, possuntque potius, solentque suo modo falli, ac ludificari, quæ est cognatio sensibilibus obiectorum cum imaginibus suis, quales videlicet nobis irrepere contingit per somnum, & furorem; profecto eodem iure cognitio spiritalis, & interna, qua affirmo, verbi gratia, Petrum currere, quia id luce palam conspicio, quantumvis sit physice certa, & euidens, esse tamen poterit veritatis

veritatis exors, & falsitati obnoxia, quia scilicet Deus miraculosè potest efficere, vt non Petrus coram me currat, sed aliquod eius simulachrum. Quæ in contrarium obici possunt, leuia sunt, ac facilia solutu: proinde iis referendis, & refellendis supersedeo.

C A P V T V.

Quanam sit in certitudine, ac euidencia formali inæqualitas.

66 **A**fferendum est primò, certitudinem metaphysicam esse maiorem physica, & hanc morali. Nam actus metaphysicè certus, ne diuinitus subire potest falsitatem: at actus physicè certus eam duntaxat naturaliter excludit, cum interim reddi possit miraculosè, ac supernaturaliter falsus: cuius autem certitudo est solum moralis, tantum est moraliter, & interpretatiuè impotens falli, sed reuera falsitati obnoxius. Eodem modo comparantur inuicem euidencia metaphysica, physica, & moralis: hæc enim potestrema non facit, vt re vera non possimus ei dissentiri, sed vt non debeamus: siue quod perinde est, non præstat, vt non possimus simpliciter, & absolute, sed vt non possimus prudenter, & iuxta regulas rectæ rationis: Physica vero euidencia potestatem, libertatemve dissentendi admittit hoc solo, quod nobis non constet rerum naturas esse miraculosè inuertas: Metaphysica autem nulla moderatione adhibita, & in quacunque hypothesi efficit, vt nobis non sit integrum dissentiri, vbi termini eius rei, cui est assentiendum rectè percipiuntur: magis ergo dissentium contrarium reicit, adeoque maior euidencia est ea, quæ dici consuevit metaphysica, quam physica, & hæc, quam moralis. Atque in hac assertionem conueniunt auctores, quin sit, quem viderim, vllus ei, qui refrageretur.

67 **A**fferendum est secundò, vnam euidenciam moralem alia itidem morali esse maiorem. Ratio est, quia quo minus debemus dissentiri alicui rei, quoque eius dissensus esset imprudentior, hoc illa est magis euidens moraliter: at multas contingit esse res, quibus minus æquum est dissentiri, quam aliis, quibusque fidem negare maioris est imprudentiæ, ac temeritatis. An non sit magis imprudens, ac temerarius, qui non credit testimonio plurium virorum grauium quidpiam sanctissimè iurantium, quam qui vnus virtutem, & grauitatem paruipendit ei aliquid non sine iuramento attestanti non credens? Item, quo plures sunt coniecturæ, eo rem moraliter euidenciam faciunt: earum autem numerus, modò maior, modò minor esse consuevit.

68 **Q**uod si euidencia moralis in obiecto cognito est inæqualis, vt hætenus probatum, certè necesse est, vt eadem sit inæqualitas in actuum euidencia morali: quippe quæ non est diuersa ab illa priori, sed prorsus eadem: idcirco enim obiectum est moraliter euidens, quia eiusmodi est cognitio, qua hic, vt aiunt, & nunc percipitur, aut certè potest percipi. Porro quod dictum est de euidencia morali, dicendum similiter est de certitudine morali: paruo enim, ac fermè nullo differunt momento: & certè quanta quanta sit earum diuersitas, vna nascitur ex alia, eique est proportionata, vt sic dixerim, videlicet ex euidencia certitudo; id, quod superius monitum: proinde vt vna, sic etiam altera dispar esse solet, modòque crescere, & modò decretere.

69 **A**fferendum est tertio, vnam certitudinem physi-

cam esse posse maiorem alia. Suadetur autem hunc in modum. Actus intellectus nostri dicitur physicè certus, quatenus ei subesse falsum est naturaliter impossibile, vt superius visum: at ea impossibilitas naturalis potest esse inæqualis, ac diuersa: ergo, & certitudo physica. Consequentia, & maior nullo egent probamento: quare probatur minor: impossibilitas naturalis inæqualitatem ex genere suo non reicit, sed admittit potius: quidni ergo eius sit capax illa, per quam cognitio nostra dicitur physicè certa, ac falsi nescia: id constat: nam in primis magis est supra naturæ vires, ac potentiam, conseruare accidentia sine subiecto, vt contingit in Eucharistiæ Sacramento, quam è diuerso subiectum sine accidentibus: ibi enim supplenda est à Deo dependentia à priori, quæ maior est, hic verò dependentia à posteriori, quæ longo minor intervallo. Deinde magis impossibile naturaliter est, eundem poni candelam in tribus subiectis, quam in duobus: siquidem alterum continet vnam tantum impossibilitatem, alterum vero duas; priorem in eo sitam, quod candelæ constitatur in duplici subiecto, posteriorem vero in eo, quod simul collocetur in tertio subiecto.

70 **A**d hæc, quis neget miraculorum aliqua esse maiora, alia minora? Quid solemnius inter Sanctos Patres, quam Christum maiora aliquando per seruos suos, quam per seipsum edidisse miracula iuxta illud Ioan. 14. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quid item inter eos celebrius, quam Deum minoribus miraculis nos excitare ad credenda maiora. Rectè præter alios D. Gregorius Nissenus de Sanctæ Christi Natiuitate sermonem habens de Elisabetta Baptista matre: *Ne incredibile putarent homines ex Virgine paruum edi posse, minoribus miraculis ante exercendo fideles ad assensendum, & credendum assuefacit: sterili, ac decrepita Filium parit: id quasi præludium est, & principium existit miraculi, quod in Virgine subsequutum est.* Quid denique inter illos magis vltatum, quam Eucharistiæ Sacramentum maius esse miraculum alijs multis à Deo Patriis: *Magnum quidem, & venerabile,* inquit Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 5. *Quod manna Iudæis pluit è cælo: sed intellige, quod est amplius manna de cælo, an corpus Christi? corpus Christi vtrique, qui auctor est cæli: Deinde manna, qui manducauit mortuus est; qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* Hætenus ille. Quin enim Ecclesia in Breuiario Romano certa quadam lectione desumpta ex opuscul. 57. B. Thomæ atque officio corporis Christi insulta pronuntiat, Sacramentum Eucharistiæ esse *miraculorum ab ipso (Deo scilicet) factorum maximum.* Quæ cum ita sint, ambiguum esse non potest, quin aliqua magis, alia minus impossibilia sint naturaliter, quandoquidem miracula in tantum maiora, vel minora censentur, quantum maiorem, vel minorem superant impossibilitatem naturalem. Quo autem discursu probauimus hætenus, esse inæqualitatem in certitudine physica, eodem coniectum manet, idiplum de euidencia physica: hæc enim infert certitudinem physicam sibi parem, vt ex dictis supra liquet: quocirca cum efficiat talem certitudinem modò maiorem, modò minorem, necesse est, vt horum graduum ipsa non sit incapax.

71 **A**fferendum est quarto, vnam certitudinem metaphysicam haud posse esse veluti intensiue maiorem alia, at esse posse extensiue, vt sic dixerim. Prior assertionis pars suadetur. Nam actus omnis metaphysicè certus ita est sponte suainstitutus, vt ne diuinitus falli

falli possit, quæ autem impossibilitas nē arbitrio, & potentia creatoris est subdita, profecto intensiva ratione summa est: omnis igitur actus Metaphysicè certus, est summe certus, & in fallibilis modo dicto, adeoque nullus alteri eatenus cedit. Posterior assertionis pars suadetur. Nāque etiam in impossibilitate quantitatis tali respectu potentia Dei absolutæ, & extraordinariæ est latitudo, & in æqualitas veluti extensiva. Ita certè magis repugnat, Petrum indeficari cum Leone, & cum equo, quam cum eorum alterutro tantum prior enim identitas duplicem complectitur impossibilitatem Metaphysicam, posterior vero vnam solam. Magis item repugnans, *austrator*: est lapidem fieri, non per unionem, sed per identitatem Deum, quam ita effici hominem, cum multo maior sit distantia, ac veluti intervallum, & extensio inter lapidem, & Deum, quam inter eundem, & hominem. Quando igitur actus aliquis est diuinitus impossibilis falli, atque impossibilitas Metaphysica contrahitur ad peculiarem materiam, subire poterit latitudinem, & in æqualitatem extensivam. Quam certe solam, & non intensivam suscipi credibilis est à certitudine Physica, siue naturali impossibilitate errandi, ut constat ex argumentis, quibus superiorem probauimus assertionem, necnon etiam ex eo, quod impossibilitas illa naturalis, cui superanda nullæ sufficiunt naturæ vires, est veluti intensivæ summa: at quæcunque est supra omnes naturæ vires: nulla ergo non est intensiva ratione summa, nulla consequenter alteri inferior.

72 Afferendum est quintò, actus intellectus nostri ita comparatos esse, ut alij sint Metaphysicè euidenciores aliis: siquidem hæc principia: impossibile est idem simul esse & non esse: quodlibet est, vel non est: & alia id genus vniuersalissima magis euidencia sunt, quam alia particularia, quibus passim fequent scientiæ omnes, minusque illis, quam his possumus dissentiri: qui enim prioribus neget assensum, nullus aut certè, vix vllus est: qui autem non assentiant posterioribus, tot reperias, quot sunt hebetioris ingenij, & in scientiis parum versari. Dices, principia etiam particularia, videlicet Physica, aut Geometrica, vel Musica, aliarumve facultatum à nullo non extorquere fidem, assensumque, si terminos ei, cui proponuntur ita declares, ut illos recte percipiat. Cæterum, vel hinc colligitur, generalissima illa axiomata maioris esse euidentiæ, quam inferiora, & ex eis in singulis scientiis derivata: si quidem, ut vim inferant intellectui, eumque à dissensu ineluctabiliter auertant, multo minori egent declaratione terminorum.

73 Porro quod huc vsque diximus, euidenciam, & coniunctam cum ea certitudinem, interdum esse maiorem, interdum minorem, idque, siue moralem, Physicam, & metaphysicam inter se, siue etiam singularum species, ac partes subiectiuas inuicem compares, apprimè confirmari, & declarari potest exemplo lucis huius corporeæ, qua oculos, animosque nostros recreamus: alia namque plus alia, alia minus est radiosæ & clara. Qua etiam similitudine vsus est Paulus 1. Corinthiorum cap. 15. ad probandam, & explicandam inæqualitatem gloriæ, in qua resurgemus, alia inquit, est claritas solis, alia claritas lune, alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.

CAPUT VI.

Certitudinis, & euidentiæ formalis inæqualitas, ulterius explicata.

74 Principio dubitabis, an actus fidei diuinæ ex genere suo sit certior extensivè omni principio metaphysico: nam de intensiva certitudine, haud posse esse dubium, eamque, sicuti sit metaphysica, haud posse subire, quod aiunt, magis, vel minus supra manet ostensum. Esse censent P. Hurtadus disp. 8. de anima sect. 6. §. 33. P. Rubius lib. 1. posterior. c. 2. q. 3. num. 38. ad finem, & num. 42. & 43. & communiter alij plures. Primum, quia fidelis omnis potius quodvis principium Metaphysicum, quam actus fidei mallet negare, si alterutrum esset negaturus: magis ergo adheret obiecto per actum fidei, quam per vllum principium Metaphysicum: certitudo autè posita est in adhæsione, ac determinatione ad veritatem obiectiuam: maior ergo est certitudo fidei, quam vllius principij Metaphysici. Secundo, quia quod plures sunt rationes determinantes actum ad veritatem, eo actus ad illam est magis determinatus, certiorque, & infallibilior: at plures rationes de terminant actum fidei ad veritatem, & à falsitate auertunt, quam principium vllum Metaphysicum: siquidem ne ille possit esse falsus, facit habitus supernaturalis, à quo oritur, quippe cui repugnat esse principium erroris, tum etiam ratio obiectiuæ, sub qua tendit, videlicet diuina reuelatio, cui etiam conuenit, quod non possit esse principium actus falsi: at quominus axioma Metaphysicum falsitatem subeat, impedimento solum est eius obiectum, quod planè est suapte natura certum, & euidens.

75 Harum tamen rationum neutra conuincit. Ad primam dicendum est, eò tantum valere, ut actus fidei sit certior principio Metaphysico certitudine affectiua, & extrinseca, non verò intellectuæ, & intrinseca, de qua sola est quæstio. Et quidem pia affectio voluntatis suam habet certitudinem more carceris actuum efficacium arbitrij nostri, ut, & supra declaratum est initio capitis præcedentis, utque expressit Tacitus lib. 12. ad eius finem, tum Agrippina, inquiens, *sceleris olim certa, & oblita occasiois prope, nec ministrorum egens de genere veneni consulta*: id est, quæ omnino, & ut sic dixerim, efficaciter decreuit patrare scelus, ut Budæus, & alij interpretantur. Quid ergo mirum, si pia affectio suam illam certitudinem refundat in actum fidei à se prognatum, faciatque, ut eatenus haud sit ita certum principium metaphysicum?

76 Ad secundam rationem contrariam respondebit aliquis, non, si plures causæ sint existentia ignis v.g. eum propterea magis existere, quam si à paucioribus dependeat: tam enim existit, si sit à solo Deo, siue à Deo, & alio igne, nec minus, si ab vno igne, quam si à centum. Similiter ergo, non, quo sunt plures rationes determinationis ad veritatem in actu fidei elucet, eo oportebit illum esse magis determinatum ad veritatem, magisue certum. Verum in contrarium est, quamlibet rationem determinantem actum fidei ad hoc, ut sit verus, eum reddere impossibilem, ac nescium falli: proinde, si eiusmodi rationes determinandi sint in eo plures, quam in principio metaphysico, magis impossibile non esse non posse, ut ei, quam huic falsum subit, adeoque maiorem esse vnius, quam alterius certitudinem, siquid valet discursus à nobis capite præterito factus. Hinc constat, exemplum causarum producentium ignem

ignem nullius esse momenti: siue enim sint multæ, siue pauca: causæ ignis, eundem semper produciunt, suumque concursum, non vero eius entitatem variant: at rationes determinantes ad veritatem actus, non eandem impossibilitatem errandi semper efficiunt, sed quo sunt plures, maiorem extensiuè, magisque numerosam, & quo pauciores, minorem, ac magis raram.

77. Quocirca aliter respondeo, vt ad veritatem actus fidei determinant, tum obiectum, tum etiam diuina reuelatio ei formaliter obiecta modo superius explicato, ita similiter hoc principium metaphysicum, verbi gratia, quodlibet est, vel non est; determinari ad veritatem, tum ab obiecto, vt largiuntur etiam aduersarij, tum à principio suo, videlicet lumine naturali intellectus, quod perceptis terminis haud potest falli in materia adeo per se nota, id enim esset intellectum nostrum, veluti in Sole caligare. Quocirca tenendum est, actum fidei ex genere suo præscindere ab eo, quod sit certior, vel minus certus principio metaphysico. Quod si, vt docent Gabriel, in 3. distinct. 1. littera D, & distinct. 3. littera G. Adamus in 3. distinct. 14. quæst. 4. articulo 2. Almainus in moral. cap. 7. Alliacensis in 1. quæst. 2. dub. 3. solut. ad 4. fidei diuinæ potest diuinitus subesse falsum, certitudo fidei non solum non erit maior ex genere suo certitudine principij metaphysici, sed potius longè minor: prior enim ea facta hypothesi tantum est physica, hæc vero posterior metaphysica.

78. Secundò loco dubitabis, an præmissæ demonstrationis simul sumptæ esse debeant certiores, euidentioreque conclusione? Debere tradunt Aristoteles lib. 1. poster. cap. 2. textu 4. & communiter antiqui eius interpretes: Idem docent cum B. Thoma 1. part. quæst. 87. art. 2. ad 3. & 4. metaphys. lect. 2. & in commentario super citatum cap. posteriorum plerique eius affecta: Item ex nostris Vallez in Logica tom. 2. lib. 1. disp. 2. quæst. 5. à cap. 3. Rubius lib. 1. poster. cap. 2. quæst. 3. numero 40. Tellez disp. 17. Logica sectione 4. Collegium Conimbr. 1. poster. c. 2. quæst. 2. artic. 5. §. *euidentia, quæ, vt diximus*; & §. *fit nihilominus*.

Mouentur autem primò: quia, quò magis est propinqua lumini rationis aliqua propositio, eo magis euidens est, sicut quo magis aliquid est propinquum luci corporeæ, eo euidentiùs cernitur: at præmissæ magis immediatæ sunt, quam conclusio, vt vero verius, ac proinde lumini rationis magis appropinquant: ergo sunt conclusione magis euidentes, adeoque certiores. Secundò: conclusio habet intrinsecè, & essentialiter diuersum modum tendendi à præmissis, ratione cuius indiget existentia præmissarum, aut certè earum memoria ad hoc, vt obiectum suum perfectius possideat, in eoque magis quiescat: igitur ex modo tendendi suo præmissis est minus certa, & euidens. Tertio: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*: at conclusio est certa, & euidens propter præmissas: hæc igitur conclusionem certitudine, & euidencia superant. Quarto euidencia, ac certitudo præmissarum est duplex, conclusionis verò vna: illarum ergo certitudo, & euidencia est extensiuè maior, quam huius: at non est quæstio impræsentiarum de alia euidencia, ac certitudine, quam de extensiuà: quæ enim est extensiuà in eodem genere non suscipit magis, aut minus, vt dictum est multoties.

79. Quintò: lux isthæ corporalis nunquam producit aliam sibi æqualem, sed quæ est vt octo, verbi gratia, illuminat, vt septem, & hæc vt sex, & sic vterius

donec ad infimum, & indiuisibilem lucis gradum deueniatur: id enim habent omnes qualitates actiue, vt operentur vniformiter difformiter, hoc est intensius in subiecto propinquiori, & remissius in magis distant: quod si lux huius subiecti A, verbi gratia, in subiecto B. proximo parem sibi lucem efficeret, hæc etiam in vicino subiecto similem ageret, & ista aliam propè se intensiuè sibi non anteriorem, ac proinde lucis diffusio esset vniformis tantum, non vero difformis ex parte, contra quàm experientia testatur. Similiter ergo lux mentis, qualis est cognitio certa, & euidens, nunquam producere poterit in intellectu aliam æqualis claritatis: posset autem, si præmissæ non deberent ex genere suo esse certiores, & euidentiore conclusionem, aut, quod perinde est, si sustinerent esse eiudem cum ea, & non maioris euidentiæ, & certitudinis. Sextò denique: si possunt præmissæ non esse certiores, & euidentiore conclusionem, quidni minus certæ, & euidentes? hoc autem posterius admitti non potest: alioqui enim erit, vt ex præmissis nullo modo certis, aut euidentiùs, sed obscuris, & dubiis sequatur aliquando conclusio certa, & euidens, quod tamen est euidenter falsum.

Contrarium tamen est P. Hurtadi disputat. 10. 80. Logica sect. 3. & quod attinet ad certitudinem Patris Roderici de Arriaga disputatione 16. Logica sect. 4. subsect. 2. conclus. 3. Quibus ipse accedo. Namque in primis, vt ab æquitate rationis argumentum desumam, intellectio humana à phantasmate corporeo dependet, & tamen eo certior, euidentiore, & perfectior est: quantumuis igitur conclusio pendeat à præmissis, his certior, euidentiore, ac perfectior esse poterit, ac proinde è contrario præmissæ conclusione certiores, & euidentiore semper esse non debent. Secundò: quamuis conclusio pendeat à præmissis, ea dependentia essentialis non est; quæque modo est conclusio sponte sua est indifferens, vt sit conclusio, vel præmissa comparatione alterius propositionis, vti ostensum est in loco: quare si præmissa aliqua, quatenus talis, certior, & euidentiore est conclusionis assensu, sanè eadem propositio erit ex se indifferens, vt sit, vel non sit certior, & euidentiore alia: consequens autem manifestè absurdum est, cum euidencia & claritas sit actibus essentialis.

Insuper tertid: hic syllogismus est in Darij: omne animal rationale est homo, sed aliquis homo est animal rationale, ergo aliquis homo est homo: at eius conclusio est euidentiore præmissis: est enim identica, & directæ; illæ vero sunt formales, & earum altera indirectæ: manifestum autem est, propositionem identicam esse magis euidentem, quauis alia minime tali; idemque probabiliter sentiunt plures de directæ respectu indirectæ. Confirmatur: propositio, in qua negatur idem formaliter de eodem, vt homo non est homo, est magis manifestè falsa, quam ea negatio, cuius subiectum, & prædicatum sunt formaliter aliud, & aliud, sin minus ex toto, saltem ex parte, veluti homo non est animal: similiter ergo affirmatio identica est magis manifestè vera quacunque alia non identica. Quod si quis obiciat, syllogismum illum non esse verè syllogismum, sed paralogismum, quia constat duplici medio; item, quia medium ingreditur conclusionem facile repellit potest ex dictis in Dialect. lib. 5. tract. 2. cap. 2.

Ad primam rationem contrariam respondeo. 82. Propositio magis mediata, non eo ipso magis appropinquat lumini rationis, quam immediata, quia lumen rationis est intellectus, cui vtræque intimè præsens est: quod si per maiorem illam propinquitatem cum

cum lumine rationis maior euidencia intelligatur, principium ab aduersariis petitur, cum probent, propositionem immediatam mediata magis claram esse, quia magis clara est, quare, quamuis præmissæ magis immediatæ sint, quam conclusio, ea tamen non erunt clariore. Ad secundam rationem contrariam respondeo: is tendendi modus conclusioni essentialis à nobis supra non semel negatus est: nec ab aduersariis probatur: nec denique prodesse potest, esto probetur.

- 83 Ad tertiam rationem contrariam respondeo; Aristotelicum illud axioma: *propter quod unumquodque tale, &c.* in primis non habere locum in causis materialibus, haud enim valet, Petrus est homo magis, quam Angelus propter corpus: ergo corpus est magis homo, quam Petrus. Non in formalibus: haud enim sequitur, paries est albus propter albedinem: ergo albedo est magis alba. Non etiam in causis efficientibus: haud enim valet, calor est propter ignem: ergo ignis est magis calor. Non item in causis formalibus extrinsecis, de quibus agimus, & cuiusmodi sunt præmissæ respectu conclusionis: haud enim sequitur, conclusio est vera, & existit propter præmissas: ergo hæc sunt magis veræ, magisque existunt, quam conclusio: hæc etiam sequela est nulla: intellectus intelligit propter speciem impressam, & vi illius: (vtrique veluti causæ formalis extrinsecæ, iuxta non paucos) ergo species impressa magis intelligit. Quapropter superius illud axioma tantum habet locum in causis finalibus, & voluntatis propriis; ut medicina amatur propter salutem: ergo magis amatur ipsa salus. Quandoquidem ergo præmissæ non sunt causæ finales voluntarie, ut sic dixerim, quid mirum, si esse non debeant maioris euidentiæ, ac certitudinis, quam conclusio, cui tribuunt, ut sit certa, & euidens?

- 84 Ad quartam rationem contrariam dicendum est; præmissas esse euidenciores, ac certiores assensu conclusionis extensivæ; at extensione se tenente ex parte actus, de qua non est sermo, non verò extensione sita in maiori, magisque, ut sic dicam, numerosa impossibilitate errandi comparatione vnius actus, de qua sola agimus in præsentiarum. Insuper præmissæ possunt esse idem indiuisibilis actus, esto id raro fortassis contingat: quod autem tunc sint certiores, euidencioresque etiam extensivæ assensu conclusionis, nequaquam quarto illo probatur argumento: non ergo quod conclusionem ex genere suo certitudinis, & euidentiæ gradu antecellant.

- 85 Ad quintam rationem contrariam respondeo primò per instantiam: namque, esto vna lux non producat vspiam aliam sibi æqualem; at vnus ignis efficit alium eiusdem perfectionis: par est ratio aliarum innumerabilium causarum: quidni ergo harum ad instar præmissæ possint conclusionem eiusdem secum euidentiæ, ac certitudinis inferre? Haud enim cognitio nostra cum luce sola, sed etiam cum igne, & aliis rebus non paucis suam habet proportionem, & vicinitatem. Secundo respondeo, ob id lucem propè se non producere aliam parem, quia alioqui haud daretur vllus illuminandi terminus, nec lucis sphaera finiretur vnquam: quæ ratio non procedit in præmissis, & conclusionem: hæc enim est talis, ut in ea intellectus sistere possit, & soleat, quantumvis sit claritatis.

- 86 Ad sextam rationem contrariam responderet aliquis, præmissas posse esse non maioris, sed æqualis euidentiæ, & certitudinis, ac est ea, quæ pollet assensu conclusionis; quin inde liceat inferre posse illas esse minus epidentis, & certas consecutione; haud

secus, atque in physicis causa efficiens adæquata, quamuis non debeat esse perfectior suo effectu, at iuxta omnes esse nequit minus perfecta. Verum cum præmissæ non sint, nisi causa inadæquata, eaque minus principalis conclusionis, potioresque in concludendo partes deferendæ sint intellectui; propterea solutio illalocum non habet in præsentiarum. Quocirca respondeo, ac multis partibus facilius, posse quidem præmissas esse minus certas, & euidenciores conclusionem, ut constat exemplo, quo vsi sumus in tertio nostræ sententiæ probamento. Pari ratione admitto, ex præmissis ineuidencibus, & obscuris ambabus deduci posse conclusionem euidencem, ex motivo vtrique proprio, & intrinseco, tamen dicenda sit ineuidens per denominationem extrinsecam à præmissis: quo pacto Deipara ex præmissis fidei mortem Christi, cuius euidenter, & intuitivè recordabatur, intulit, aut certè potuit. Eodem modo, & cum eadem moderatione censeo, deduci posse ex præmissis incertis conclusionem certam.

87 Adde tamen primo, præmissas, etiam si non debeant, ac posse quidem esse certiores, & euidenciores conclusionem: quidni enim? Dices, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, est principium Metaphysicum summè certum, & euidens, ac tale, ut ei innitatur tota vis syllogistica: ergo non potest esse magis certum, & euidens, aliqua esse idem vni tertio, ut asseritur per præmissas, quam esse idem inter se, ut inferitur in assensu conclusionis, alioqui supra summam certitudinem, & euidenciam esse posset alia maior, quo nihil magis absonum. Declaratur: idem est, aliqua esse eadem vni tertio, ac esse eadem inter se: haud ergo vnum potest esse certius, aut euidencius alio: præmissarum ergo, quarum est illud prius asserere non potest esse maior euidencia, aut certitudo, quam conclusionis, cuius partes sunt posterius adstruere.

88 Respondeo; quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, esse principium metaphysicum, & quo fortasse nullus intellectus nostri actus esse possit certior, aut euidencior: at conclusionem non affirmare necessariò totum id, sed tantum aliqua esse idem inter se, alioqui non esset conclusio, sed principium, idque metaphysicum, & primum: quocirca non est, cur ea præmissis non possit aliquando cedere quoad euidenciam, ac certitudinem. Ad confirmationem dicendum est, duo quædam esse idem inter se, & ea esse idem vni tertio, esse quidem vnum, idemque obiectum reipsa, at distinctum, & multiplex ratione ratiocinata & virtualiter intrinsecè: hoc autem posterius sufficere, ut alterum dilucidius, certiusque cognosci possit, quam cognoscitur alterum: quo pacto animalitas, & rationalitas, etsi magis virtute, quam reipsa sint distinctæ, tamen homine procul viso, possumus, & solemus de animalitate eius certi esse, illamque perspectam, & exploratam habere, quin rationalitatem nisi incerto, & obscure eo in euentu noscamus.

89 Adde secundò, conclusionem dici certam, & euidencem, non solum per seipsam intrinsecè, ac per representationem sibi essentialem, sed etiam per denominationem extrinsecam à præmissis, ex quibus oritur: tum, quia dicitur conclusio extrinsecè, & denominatione sumpta ab influxu præmissarum, cum interim seorsim ab eis, ac sponte sua possit esse, non conclusio, sed immediata cognitio sui obiecti: similiter ergo certitudinem, & euidenciam ab eis extrinsecè poterit emendicare: tum secundò, quia actus imperans refundit bonitatem suam moralem in actum imperatum, & intentio in electionem, ut

Theologi

Theologi tradunt, vt que ex eis facile esset ostendere, si esset huius loci: quidni ergo præmissæ certitudinem, & euidentiam suam in conclusionem refundant. His positis: conclusio, si sermo sit de euidentia ac certitudine, quam à præmissis haurit, esse semper debet eis minus certa, & euidens: eam namque certitudinem, & euidentiam præmissæ intrinsecè, & primariò participant, conclusio vero extrinsecè, & secundariò, quem participandi modum quis non videat esse inæqualem? Atque fortassis hac ratione possunt explicari Aristoteles, B. Thomas, & alij graues, & antiqui auctores nobis obiici soliti, nimirum, vt conclusio non penes euidentiam, & certitudinem sibi essentialem decedere debeat præmissis, sed solum quoad aliam ab his extrinsecus acceptam.

90 Tercio denique dubitari potest, an vna tantum præmissæ, siue sit maior, siue minor, sit magis certa, & euidens, quam conclusio vel potius è conuerso? Pater Ariaga disputation. section. & subf. paulo supra citatis, & conclusion. 2. numer. 30. censet, quamlibet præmissam seorsum sumptam esse magis certam conclusione: hæc enim, inquit, duplicem attingit veritatem, saltem implicite, nimirum eam, quæ obicitur ambabus præmissis: harum autem alterutra tantum vnâ solam: atqui, actus attingens vnâ veritatem certior, & infallibilior est eo, qui complectitur plures: nam v. g. certius, & firmitus adhæreo ei, qui mihi testatur, Petrum currere, quam attestanti, Petrum, Ioannem, & Ignatium currere: plus siquidem requiritur, vt actus ille, quo priori credo, & assentior, reddatur falsus, quam ille, quo affirmo, quod posterior mihi proponit: vt enim falsitas in sit actui affirmanti Petrum currere, opus est, vt is determinate non currat, nec sufficit, vt alius vltus non currat: at vt falsificetur actus asserens, Petrum, Ioannem, & Ignatium currere, necesse non est, vt Petrus non currat, aliusue homo destinate, sed satis est, vt quicumque trium à currendo superfedeat: quæ cum ita sint, magis infallibilis, ac certus est actus quo cursum vnus, quam quo trium adstruo.

91 Cæterum hic discursus, etsi verisimilitudinem præferat aliquam, parum tamen, nisi fallor, soliditatis habet, ac veri. Nam in primis in hoc syllogismo in Ferio: nullus homo est lapis, Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis: maior propositio plures cohibet veritates, pluribusque assentitur, quam conclusio: haud ergo illa erit magis certa, quam hæc, si quid valet ratio contrariæ opinionis: consequentia est perspicua: antecedens non minus: siquidem Ferialis illa maior adstruit, nec Petrum esse lapidem, nec Paulum esse lapidem, nec Iacobum esse lapidem, & sic de cæteris, conclusio verò, quod solus Petrus non sit lapis. Rursus secundo: nulla est præmissæ, quæ per alias duas, vel à priori, vel à posteriori, aliterue probari non possit: nulla ergo est, quæ implicite non attingat duas veritates more conclusiones: hæc ergo, cur sit ob numerum veritatum, quas complectitur præmissæ vlla minus certa, illaue magis: Quod autem actu ita non probetur quauis præmissæ per alias, parum refert: nam ob id conclusio attingit implicite obiectum præmissarum, quia hoc est reipsa idem cum obiecto conclusionis: hæc autem identitas est eadem, siue præmissæ existant actu, siue secus, siquidem identitas duorum haud est prædicatum existentielle, aut contingens, sed essentialis, & necessarium, vt certo certius.

92 E diuerso autem alij docent, conclusionem esse posse certior, & euidenriorem altera præmissarum. Ita iuxta non paucos Henricus 1. part. summ. art. 7. R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

quæstion. 2. Agidius quæst. 5. prologi: atque in eadem sententia ferme est P. Tannerus 5. quæst. distinction. 2. quæstion. 3. dub. 2. agens de obiecto Theologia, vbi etiam pro se refert P. Gregorium de Valentia tom. 3. disput. 5. quæstion. 1. punct. 2. Cuius opiniones fundamentum est tale. Quando ex altera præmissæ de fide, vt aiunt, & naturali altera, infertur conclusio Theologica dici solita, vt omnis homo est risibilis; Christus est homo: ergo Christus est risibilis: aut hæc consecutio est de fide, & sic certior est maiori propositione, id enim habet fides, vt superet omnem certitudinem naturalis ordinis: aut non est de fide, atque ita etiam nequit non esse magis certa, quam maior, cum participet de certitudine minoris supernaturalis, ac de fide, cuius tamen est expert maior naturalis.

93 Verum hæc etiam ratio est parum momentosa. Si quidem, vtvt conclusio Theologica sit de fide, (qua in re meam nunc non interpono sententiam) haud propterea debet esse certior præmissæ naturali: superius enim ostensum est, fidem haud esse magis certam, quam cognitionem naturalem euidentem, & omnino infallibilem. Deinde ex superfluo permittito, certitudinem fidei esse maiorem quauis naturali certe perperam contendunt aduersarij conclusionem, quæ non est de fide, huius tamen participare certitudinem, quia ex ea infertur: haud enim censenda est inferri ex ea sola, sed ex ea, & alia præmissæ naturali, vt supponitur minus certa: debiliorem autem partem secundum omnes amat sequi, non vero potior: ergo non fidei supernaturalis instar debet esse certa, sed potius instar maioris naturalis, ac proinde hac magis certam illam esse non oportet.

94 Confirmatur quando conclusio aliqua infertur ex vna præmissæ probabili, & incerta, aliaque certa, & euidenti, illius incertitudinem sequitur, non vero huius euidentiam, & certitudinem: similiter ergo quæ efficitur ex propositione fidei, & naturaliter euidenti, ac certa, non illius maiorem, sed huius minorem certitudinem vendicabit. Porro, vt hoc interim moneam, quod iam iam dictum est, conclusionem deductam ex altera præmissæ incerta debere esse similiter incertam, id iuxta superiorem doctrinam intelligendum attentis dumtaxat præmissis, etsi non aliud, quam illarum motuum respiciat: Quod si alio sibi proprio ducatur, nihil verat ex eo illam esse certam, & euidentem. Quo etiam pacto non pauci eorum, qui tuentur conclusionem debere esse minus certam ambabus præmissis, id accipi volunt cum hac restrictione: Quod ad præmissas attinet: cum interim non renuant aliunde conclusionem esse posse certior, aut æquæ certam. Diximus, inquit, Rubius in citatum cap. posteriorum n. 43. ad finem) conclusionem vt ex præmissis infertur minorem habere certitudinem, quia aliunde poterit habere æqualem.

95 Quapropter existimo, conclusionem contentam alteri præmissarum, & præmissam alterutram è conuerso conclusioni, ita institutas esse, vt neutra ex genere suo superet alteram certitudinis gradu: aliquando autem contingere, vt excessus sit hinc, interdum verò illinc.

Quod autem dico de certitudine, id de vtriusque euidentia, dictum puta.